ACTA ET DECRETA

SYNODI PLENARIAE

EPISCOPORUM HIBERNIAE

HABITAE APUD MAYNUTIAM

AN. MDCCCC

DUBLINI

TYPIS BROWNE ET NOLAN

MDCCCCVI

INDEX.

ACTA SYNODI:

DECRETA SYNODI:

DECRETA SYNODI:

DECRETA SYNODI:

PASTORAL ADDRESS OF THE ARCHBISHOPS AND BISHOPS OF IRELAND ASSEMBLED IN SYNOD AT MAYNOOTH:

BREVE LEONIS PP. XIII.

AD

ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS HIBERNIAE.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Si quid est quod luctuosissimo hoc atque acerbissimo Romanae Ecclesiae tempore animum recreet reficiatque Nostrum, illud sane est, incredibilis ac veluti unici exempli Catholicorum omnium Antistitum consensus, qui, quidquid pati potiusquam officio deesse non dubitantes, constanter, veluti acies, contra Religionis nostrae sanctissimae atque huius Beatissimi Petri Cathedrae hostes, praelia Domini praeliaturi ubique gentium concurrunt. Ac vos, Venerabiles Fratres, salubri frugiferoque inito consilio de Plenaria Synodo habenda, quo potius et opportunius gravioribus nobilissimae istius dominici gregis partis negotiis, collatis sententiis conspiratisque viribus occurratis, magnum quoque attulistis cordi Nostro solamen.

De quo quidem consilio, simul ac relatum ad Nos est, illud ex animo commendavimus vehementerque probavimus, et mature cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis re communicata, de ipsorum consilio, dilecto filio Nostro Michaeli S. R. E. Cardinali Logue, Archiepō Armacano et Totius Hiberniae

Primati, eas partes Apostolica Nostra Auctoritate commisimus ut, attentis etiam peculiaribus temporis adiunctis, tamquam Delegatus Apostolicus Synodum convocet, eique cum facultatibus necessariis atque opportunis praesit, et pro certo habemus illum se talem in hoc obeundo munere praestiturum, qualem summa illius prudentiae doctrinaeque laus, egregia pietate cumulata, fore pollicetur.

Quae cum ita sint, dum in humilitate Nostra ferventissimis precibus Datorem Luminum Deum oramus ut vobis in suo nomine coniunctis ea suggerat quae fidelibus curae vestrae commissis prospere ac feliciter eveniant, vos, Venerabiles Fratres, hortamur ut nominato Armacano Antistiti, tali aucto munere, quantum in vobis situm est, obsequamini, factaque ab eodem Synodi convocatione, omnes adsitis ad tramitem sacrorum Canonum nisi legitimo impedimento detineamini. Quamquam vero praefato Antistiti Delegato Apostolico, peculiares a Nobis instructiones idcirco traditae sint, tamen vos, Venerabiles Fratres, etiam atque etiam monemus ut non modo responsis datis pro gravioribus negotiis quo par est studio inhaereatis, sed etiam illam curam potissimum in Synodo geratis, ut disciplinam supradictis rescriptis consentaneam atque uniformem per omnes provincias singulasque vestras dioeceses collatis consiliis constituatis. Porro volumus ac decernimus ut dictae Synodi Acta ac Decreta ad Sanctam hanc Apostolicam Sedem transmittantur, ut instituto de more examine de illis iudicium feratur, eaque, si ita visum fuerit, Nostra vel Successorum Nostrorum suprema auctoritate confirmentur ac roborentur.

Haec statuimus, volumus, mandamus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant plenissime

suffragari, sitque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Iunii, MDCCCIC., Pontificatus Nostri Anno Vigesimo Secundo.

ALOIS. CARD. MACCHI.

LOC. ✠ SIG.

BREVE LEONIS PP. XIII.

AD

EMUM ET RMUM MICHAELEM CARD. LOGUE.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ex Apostolico officii munere, quod humilitati Nostrae commisit Altissimus, nihil Nobis est potius quam ut ea, quacumque ope possumus, procuremus quae Catholicae rei fauste feliciter ac prospere eveniant. Itaque simul ac relatum est Nobis Venerabiles Fratres, Episcopos Hibernenses, consilium iniisse celebrandi consueta Synodali forma Plenarium totius istius nationis Praesulum conventum, quo gravioribus ecclesiasticis negotiis opportune provideatur, Nos, salubre huiusmodi consilium ac frugiferum ex animo commendantes et summopere approbantes, cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis rem communicare maturavimus; omnibusque momentis attente consideratis seduloque perpensis, de eorumdem consilio in eam sententiam devenimus ut istius Synodi proximo anno convocandae et regendae munus tibi, dilecte fili Noster, demandemus, pro certo habentes te, prae ea qua in exemplum commendaris

prudentia, gravitate, doctrina, consilio, et Catholicae religionis provehendae studio, in obeundis huius muneris partibus exspectationi Nostrae cumulatissime responsurum.

Quo autem praefatum munus navius nitidiusque fungaris, de memoratorum Venerabilium Fratrum Nostrorum similiter consilio te hisce Litteris Delegatum Apostolicum istius Synodi convocationi ac celebrationi perficiendae Apostolica Nostra Auctoritate eligimus, constituimus, ac renuntiamus; tibique idcirco singulas universasque facultates necessarias atque opportunas deferimus, tribuimus, atque impertimus.

Quae cum ita sint, tuum erit potissimum tum instructiones a praefatorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregatione pro Synodi celebratione traditas, aeque ac Decreta et Rescripta ab hac S. Sede Apostolica vel a dicta Congregatione alias edita, praesertim pro gravioribus negotiis istius regionis, exsequenda curare, tum studere ut disciplina eiusmodi in praxi servanda admittatur quae sit et supradictis decretis consentanea, et uniformitatem per omnes provincias ac dioeceses inducat. Porro volumus ut Synodi Acta et Statuta ad Sanctam hanc Sedem Apostolicam transmittenda cures ut examini subiiciantur, ac, si visum fuerit opportunum, Nostra aut Successorum Nostrorum Auctoritate confirmentur.

Haec volumus, statuimus, praecipimus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab iis ad quos spectant inviolabiliter observari, sitque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri recolendae memoriae super divisione materiarum, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus

Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Iunii, MDCCCIC., Pontificatus Nostri Anno Vigesimo Secundo.

ALOIS. CARD. MACCHI.

LOC. ✠ SIG.

EPISTOLA EMI ET RMI CARD. GOTTI,

PRAEFECTI S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE,

AD EMUM ET RMUM MICHAELEM CARD. LOGUE.

Romae, 9 Septembris, 1904.

EMME ET RME DNE MI OBSME.

GRATUM mihi est heic adnexum mittere ad Eminentiam Tuam Decretum S. huius Congñis, quo recognoscuntur Acta et Decreta Plenariae Synodi Maynutianae anno 1900 ab Hiberniae Episcopis habitae. Adiicitur exemplar, in quo exhibentur nonnullae modificationes a S. Coñgne inductae.

Spero ex providis huius Concilii praescriptis non parum utilitatis in bonum animarum et Ecclesiae incrementum derivaturum. Una cum Actis et Decretis Synodi plura postulata exhibita fuere, quibus per separatas litteras responsum dabo.[1]

Interea, maxima cum veneratione, manus Tibi humillime deosculor.

Eminentiae Tuae Rmae

Humillmus obsqmus servus verus,

FR. H. M. CARD. GOTTI, Praef.

LOC. ✠ SIG.

Aloisius Veccia, Secrius.

[1] Vid. Append. pp. 13, 14.

DECRETUM.

Ut res catholica in Hibernia, post superatas superiorum temporum procellas, novis incrementis floreret, sollicita illorum Antistitum cura effecit; providisque ecclesiastica disciplina communita legibus stetit viguitque. Ad huiusmodi autem progressus impensius promovendos et vigorem disciplinae servandum formandumque salubre consilium Hiberniae Antistites iniverunt, ut, post vigesimum quintum annum a celebrata Maynutiae Plenaria Synodo, novum ibidem eorumdem Episcoporum haberetur Plenarium Concilium; quod, Emo Card. Michaele Logue, Archiepiscopo Armacano et totius Hiberniae Primate, convocante et praesidente ex apostolica delegatione, a die 27 Augusti ad diem 11 Septembris anno 1900 feliciter coeptum absolutumque est.

Cum autem eiusdem Plenariae Synodi Acta et Decreta huic S. Consilio Christiano Nomini Propagando expendenda ac revisenda, uti par erat, subiecta fuerint, res ad examen delata est peculiaris ad id constitutae Commissionis sub praesidentia Emi Viri Card. Sebastiani Martinelli. Cuius quidem Commissionis sententia ea fuit eadem Acta et Decreta, nonnullis inductis modificationibus, quae in adnexo exemplari exhibentur, esse recognoscenda.

Hanc vero sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio Divina Providentia PP. X. relatam ab infrascripto eiusdem S. Congregationis Secretario in Audientia diei 3 vertentis Septembris, eadem Sanctitas Sua benigne probavit confirmavitque, atque praesens ea super re Decretum expediri praecepit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congñis de Prop. Fide, die 9a Septembris anni 1904.

Fr. H. M. Card. Gotti, Praef.

Loc. ✠ Sig.

Aloisius Veccia, Secrius.

ACTA

SYNODI PLENARIAE EPISCOPORUM HIBERNIAE.

QUAE HABITA EST APUD MAYNUTIAM DIE 27 AUGUSTI ET SEQUENTIBUS USQUE AD DIEM 11 SEPTEMBRIS, 1900.

CONVENTUS PRAELIMINARIS.

Die 27 Augusti, Feria II.

Hora septima cum dimidio vespertina, in Aula Collegii S. Patritii apud Maynutiam convenerunt Emus ac Rmus Praeses, Archiepiscopi, et Episcopi, ut negotia Concilii ordinarent.

Dicta Oratione *Adsumus*, Litterisque SS. D. N. Leonis Papae XIII. die 12 et die 22 Iunii, 1900 datis palam perlectis, Episcopi nominaverunt Promotores Synodi Illmos ac Rmos Episcopos Galviensem, et Darensem; Secretarios Illmos ac Rmos Episcopos Clonfertensem, Rapotensem, et Waterfordiensem; Cancellarium Rmum D. Giraldum Molloy, S.T.D.; Caeremoniarios RR. DD. Patritium O'Leary, S.T.D., Iacobum Dunne, et Ioannem Delany.

Conciliarem agendi modum et rationem deliberandi tunc statuerunt Episcopi.

Deinde Deputatio specialis constituta est ex Archiepiscopis et Secretariis, una cum Episcopis Galviensi, Corcagiensi, Fernensi, et Kilmorensi, qui ipsos Episcopos et Synodales omnes apte in Deputationes Synodales distribuerent.

Dicta Antiphona *Sancta Maria*, conventus finem accepit.

SESSIO SOLEMNIS PRIMA.

Die 28 Augusti, Feria III.

Hora decima ante meridiem, convenerunt omnes quotquot ad Synodum advenerant Illmi et Rmi Praesules cum capellanis in Oratorio B.V. Mariae; ceteri autem foris in aula Collegii.

Omnibus paratis, Hymnoque *Veni Creator Spiritus* a Cantoribus incepto, processio inchoata est. Prosequentes Hymnum *Veni Creator Spiritus* atque decantantes Hymnum *Ave Maris Stella,* et Psalmos 80, 83, 86, ad Capellam Collegii perrexerunt: quam cum ingressi sunt Missam *De Spiritu Sancto* solemni ritu celebravit Emus et Rmus Praeses, cui ad altare astiterunt, sacerdos assistens, Adm. Rev. Arthurus Canonicus Ryan, diaconus, Rev. D. D. Moloney, subdiaconus, Rev. D. I. O'Callaghan. Missa finita, persolutisque Psalmis et precibus pro aperienda Synodo praescriptis, mandatum est ut omnes praeter Synodales exirent. Clausis ianuis, Emus Praeses gravi sermone per semihoram allocutus est Synodales de rebus in Synodo tractandis.

Subinde institerunt Promotores ut Concilium illud Plenarium Episcoporum Hiberniae, ab Emo Praeside auctoritate S. Sedis instructo rite convocatum, illo ipso die inciperet iamque incoeptum esse declararetur. Quorum precibus adnuens Emus Praeses Decretum *De Aperienda Synodo* Secretario seniori legendum tradidit; quod cum perlectum esset, et a Patribus nemine dissentiente probatum, Emus Praeses Concilii Plenarii initium fieri atque iam factum esse pronuntiavit.

Eadem ratione Decreta *De Modo Vivendi, De Praeiudicio non Afferendo, De Concilii Officialibus, De Iudicibus Causarum Personalium in Synodo Occurrentium,* atque *De non Discedendo et de Secreto Servando,* perlecta et probata sunt. Tum

Emus Praeses rogavit: Promittitisne silentium vos omnes sancte servaturos, et tradenda vobis Decretorum Schemata fideliter esse restituturos? Responderunt singuli: Promitto per fidem sacerdotalem.

Deinde Concilii Promotores instïterunt ut omnes ad Synodum citati, aut qui ex sacrorum Canonum praescriptis ei interesse deberent, nominatim vocarentur. Quod ex Praesidis mandato factum est.

Aderant sequentes Praesules :—

Emus et Rmus D. MICHAEL CARDINALIS LOGUE, Archiepiscopus Armacanus, Totius Hiberniae Primas, Delegatus Apostolicus, Synodi Praeses.

Illmus et Rmus D. GULIELMUS I. WALSH, Archiepiscopus Dublinensis, Hiberniae Primas.

Illmus et Rmus D. THOMAS G. CROKE, Archiepiscopus Cassiliensis.

Illmus et Rmus D. IOANNES M'EVILLY, Archiepiscopus Tuamensis.

Illmus et Rmus D. FRANCISCUS I. MACCORMACK, Episcopus Galviensis et Duacensis.

Illmus et Rmus D. Fr. THOMAS ALPHONSUS O'CALLAGHAN, Ord. Praed., Episcopus Corcagiensis.

Illmus et Rmus D. IOANNES HEALY, Episcopus Clonfertensis.

Illmus et Rmus D. IACOBUS BROWNE, Episcopus Fernensis.

Illmus et Rmus D. ABRAHAM BROWNRIGG, Episcopus Ossoriensis.

Illmus et Rmus D. EDVARDUS T. O'DWYER, Episcopus Limericensis.

Illmus et Rmus D. IOANNES LYSTER, Episcopus Achadensis.

Illmus et Rmus D. PATRITIUS O'DONNELL, Episcopus Rapotensis.

Illm̃us et Rm̃us D. EDVARDUS MAGENNIS, Episcopus Kilmorensis.

Illm̃us et Rm̃us D. IOANNES COFFEY, Episcopus Kerriensis.

Illm̃us et Rm̃us D. THOMAS I. M'REDMOND, Episcopus Laonensis.

Illm̃us et Rm̃us D. IOANNES K. O'DOHERTY, Episcopus Derriensis.

Illm̃us et Rm̃us D. RICARDUS A. SHEEHAN, Episcopus Waterfordiensis et Lismorensis.

Illm̃us et Rm̃us D. IOANNES CONMY, Episcopus Alladensis.

Illm̃us et Rm̃us D. ROBERTUS BROWNE, Episcopus Cloynensis.

Illm̃us et Rm̃us D. RICARDUS OWENS, Episcopus Clogherensis.

Illm̃us et Rm̃us D. IOSEPHUS HOARE, Episcopus Ardaghensis et Cluanensis.

Illm̃us et Rm̃us D. IOANNES CLANCY, Episcopus Elphinensis.

Illm̃us et Rm̃us D. HENRICUS HENRY, Episcopus Dunensis et Connorensis.

Illm̃us et Rm̃us D. PATRITIUS FOLEY, Episcopus Darensis et Leighlinensis.

Illm̃us et Rm̃us D. DIONYSIUS KELLY, Episcopus Rossensis.

Illm̃us et Rm̃us D. MATTHAEUS GAFFNEY, Episcopus Midensis.

Illm̃us et Rm̃us D. NICOLAUS DONNELLY, Episcopus Caneensis.

Rm̃us D. Fr. CARTHAGUS DELANY, Ord. Cist., Abbas de Monte Mellario.

Rm̃us D. Fr. I. CAMILLUS BEARDWOOD, Ord. Cist., Abbas de Monte Iosephi.

Admodum Rev. D. IOANNES O'BRIEN, Parochus loci Banbridge, Illm̃i et Rm̃i Episcopi Dromorensis Vicarius Generalis, eiusdem Praesulis Procurator.

Aderant sequentes Provinciales Ordinum et Congregationum Religiosarum :—

Admodum Rev. P. C. L. Nevin, Prov. Carmel. Discal.

Admodum Rev. P. Ludovicus I. Hickey, Prov. Ord. Praed.

Admodum Rev. P. Daniel MacIntyre, Prov. Oblat. Mariae Immaculatae.

Admodum Rev. P. Petrus Begley, Prov. Ord. S. Fran.

Admodum Rev. P. Thomas Morrissey, Prov. Cong. Miss.

Admodum Rev. P. Matthaeus, Prov. Cap.

Admodum Rev. P. Edvardus St. George, Prov. Ord. S. Augustini.

Admodum Rev. P. Patritius Keating, Prov. Soc. Iesu.

Admodum Rev. P. Andreas Boylan, Prov. Cong. SS. Redemptoris.

Admodum Rev. P. A. E. Farrington, S.T.D., Prov. Ord. Carmel. Calceat.

Admodum Rev. P. Michael Watters, Prov. Soc. Mariae.

Admodum Rev. P. Philippus Coghlan, Prov. Cong. Passionis.

Admodum Rev. P. L. Healy, Prov. Cong. S. Spiritus.

Aderant etiam sequentes Procuratores Capitulorum :—

Rm̃us Petrus Byrne, Vicarius Gen., Suae Sanctitatis Prael. Dom., Decanus, Parochus loci Drumglass, Proc. Cap. Armacani.

Rm̃us Nicolaus Walsh, Vicarius Gen., S.S. Prael. Dom., Decanus, Parochus loci Kingstown, Proc. Cap. Dublinensis.

Admodum Rev. Thomas Kinane, Vicarius Gen., Decanus, Parochus loci Cashel, Proc. Cap. Cassiliensis.

Admodum Rev. Ioannes O'Mahony, Parochus loci Kilmurry, Proc. Cap. Corcagiensis.

Admodum Rev. Ioannes Furlong, Archidiaconus, Parochus loci Gorey, Proc. Cap. Fernensis.

Admodum Rev. THOMAS KELLY, Decanus, Parochus Ecclesiae S. Canici apud Kilkenny, Proc. Cap. Ossoriensis.

Admodum Rev. MICHAEL STAUNTON, Decanus, Parochus loci Kilconduff, Proc. Cap. Achadensis.

Admodum Rev. THOMAS CARMODY, Vic. Gen., Decanus, Parochus loci Tralee, Proc. Cap. Kerriensis.

Admodum Rev. GULIELMUS HUTCH, S.T.D., Parochus loci Midleton, Proc. Cap. Cloynensis.

Rm̃us THOMAS SMOLLEN, Vic. Gen., S.S. Prael. Dom., Parochus loci Enniskillen, Proc. Cap. Clogherensis.

Admodum Rev. IOANNES MONAHAN, Decanus, Parochus loci Tagshiney, Proc. Cap. Ardaghensis.

Aderant insuper sequentes Theologi :—

Ex Dioecesibus—

Armacana—Rev. IOSEPHUS MACRORY, S.T.D., Professor S. Script. in Collegio S. Patritii, Maynutiae, et Rev. SALVATOR LUZIO, S.T.D., Ph.D., I.U.D., Prof. Iur. Can. in Colleg. S. Patritii, Maynutiae.

Dublinensi—Rm̃us GIRALDUS MOLLOY, S.T.D., S.S. Prael. Dom., Rector Univ. Cath. Hiberniae.

Cassiliensi—Adm. Rev. ARTHURUS RYAN, Praeses Coll. S. Patritii apud Thurles.

Tuamensi — Adm. Rev. PATRITIUS KILKENNY, S.T.D., Archidiaconus, Parochus loci Kilcolman.

Galviensi—Adm. Rev. THOMAS O'DEA, S.T.D., Propraes. Coll. S. Patritii, Maynutiae.

Corcagiensi—Rev. DANIEL COGHLAN, S.T.D., Professor in Coll. S. Patritii, Maynutiae.

Clonfertensi—Rm̃us IACOBUS MADDEN, S.S. Prael. Dom. Vic. Gen., Parochus loci Tynagh.

Fernensi—Adm. Rev. MICHAEL KAVANAGH, S.T.D., Parochus loci New Ross.

Ossoriensi—Adm. Rev. GULIELMUS BRENNAN, S.T.D., Propraes. Coll. S. Kyrani apud Kilkenny.

Limericensi—Adm. Rev. ANDRAEAS MURPHY, Praes. Coll S. Munchini apud Limerick.

Rapotensi—Rev. IACOBUS M'GINLEY, Decanus in Coll: S. Patritii, Maynutiae.

Achadensi—Adm. Rev. IACOBUS DALY, Praeses Seminarii Dioecesani apud Ballaghadereen.

Kilmorensi—Adm. Rev. PATRITIUS O'CONNELL, Parochus loci Cootehill.

Kerriensi—Adm. Rev. IOANNES O'LEARY, Archidiaconus Parochus loci Castleisland.

Laonensi—Adm. Rev. PATRITIUS WHITE, Vic. Gen., Decanus, Parochus loci Nenagh.

Derriensi—Adm. Rev. IOANNES O'DOHERTY, Admin. pro Parocho loci Donagh.

Waterfordiensi—Rev. MICHAEL P. O'HICKEY, S.T.D., Prof. in Coll. S. Patritii, Maynutiae.

Alladensi—Adm. Rev. HENRICUS HEWSON, S.S. Cam. Secr., Parochus loci Belmullet.

Cloynensi—Adm. Rev. DANIEL KELLER, Vic. Gen., Decanus, Parochus loci Youghal.

Clogherensi—Adm. Rev. PETRUS M'GLONE, S.T.D., Parochus loci Aughnamullen.

Ardaghensi—Adm. Rev. PATRITIUS REDDY, Vic. Gen., Parochus loci Gallen.

Elphinensi—Rm̃us IACOBUS KELLY, S.T.D., S.S. Prael. Dom., Vic. Gen., Decanus, Parochus loci Athlone.

Dunensi—Rev. DANIEL O'LOAN, S.T.D., Prof. in Coll. S. Patritii, Maynutiae.

Darensi—Rm̃us MICHAEL MURPHY, S.T.D., S.S. Prael. Dom., Vic. Gen. Parochus loci Kildare.

Rossensi—Adm. Rev. IOANNES O'LEARY, S.S. Cam. Secr. Parochus loci Clonakilty.

Midensi—Rm̃us LAURENTIUS GAUGHRAN, S.S. Prael. Dom., Vic. Gen., Parochus loci Kells.

Caneensi—Adm. Rev. Milesius M'Manus, Parochus Eccl. S. Catharinae apud Dublinum.

Die 3 Septembris advenit Rm̃us Ricardus M'Loughlin, S.S. Praelat. Dom., Parochus loci Roscommon, Capituli Elphinensis Procurator: Professione Fidei et promissione de secreto servando emissis, est inter Synodales enumeratus.

Aderant sequentes Synodi Officiales:—

Promotores
- Illm̃us et Rm̃us D. Franciscus MacCormack, Episcopus Galviensis.
- Illm̃us et Rm̃us D. Patritius Foley, Episcopus Darensis.

Secretarii
- Illm̃us et Rm̃us D. Ioannes Healy, Episcopus Clonfertensis.
- Illm̃us et Rm̃us D. Patritius O'Donnell, Episcopus Rapotensis.
- Illm̃us et Rm̃us D. Ricardus A. Sheehan, Episcopus Waterfordiensis.

Cancellarius—Rm̃us D. Giraldus Molloy, S.T.D., S.S. Prael. Dom., Rector Univ. Cath. Hiberniae.

Caeremoniarii
- R. D. Patritius O'Leary, S.T.D., Decanus in Coll. S. Patritii, Maynutiae.
- R. D. Iacobus Dunne, Propraeses Coll. S. Crucis apud Clonliffe.
- R. D. Ioannes Delany, Presb. Darensis.

Responderunt omnes praeter Illm̃um et Rm̃um Episcopum Dromorensem, et Adm. Rev. D. Iosephum Ronayne, Procuratorem Capituli Tuamensis, qui ob valetudinem adversam venire non potuerunt, et Rm̃um D. Ricardum MacLoughlin, Procuratorem Capituli Elphinensis, graviorum quorumdam negotiorum causa detentum, qui tamen postea advenit. Per Procuratorem autem, admodum Rev. D. Ioannem O'Brien, Parochum loci Banbridge, aderat Illm̃us et Rm̃us Dromorensis.

Tum proponente Emo et Rmo Praeside, placuit Episcopis omnibus suffragium decretorium concedere Illmo et Rmo Episcopo Caneensi, Rmo Abbati de Monte Mellerario, Rmo Abbati de Monte Sti. Iosephi, necnon Adm. Rev. Procuratori Illmi et Rmi Episcopi Dromorensis.

Deinde iussu Praesidis publice perlectus est elenchus et ordo Deputationum Synodalium :—

Ia Deputatio, scil. *De Fide.*

Emus et Rmus CARDINALIS ARCHIEPISCOPUS ARMACANUS, Praeses.

Illmus et Rmus EPISCOPUS GALVIENSIS.
,, EPISCOPUS FERNENSIS.
,, EPISCOPUS KILMORENSIS.
,, EPISCOPUS ALLADENSIS.
,, EPISCOPUS ARDAGHENSIS.
,, EPISCOPUS CANEENSIS.
Rmus ABBAS DE MONTE MELLEARIO.

Adm. Rev. D. IOSEPHUS MACRORY.
,, ,, IOANNES O'BRIEN.
,, ,, IOANNES MONAHAN.
,, ,, MICHAEL MURPHY.
,, ,, IOANNES O'MAHONY.
,, ,, DANIEL COGHLAN, Secretarius.
,, ,, IOANNES O'LEARY.
,, ,, HENRICUS HEWSON.
,, ,, LAURENTIUS GAUGHRAN.
,, P. LUDOVICUS HICKEY, Ord. Praed.
,, ,, PETRUS BEGLEY, Ord. S. Francisci Min.
,, ,, ANDREAS FARRINGTON, Ord. Carmel. Calc.

IIa. Deputatio, scil. *De Sacramentis.*

Illmus et Rmus ARCHIEPISCOPUS TUAMENSIS, Praeses.
,, EPISCOPUS CLONFERTENSIS.

Illmus et Rmus Episcopus Rapotensis.
,, Episcopus Laonensis.
,, Episcopus Derriensis.
,, Episcopus Rossensis.
,, Episcopus Midensis.
Adm. Rev. D. Thomas Kinane.
,, ,, Patritius Kilkenny.
,, ,, Ioannes O'Doherty.
,, ,, Thomas O'Dea, Secretarius.
,, ,, Patritius O'Connell.
,, ,, Iacobus MacGinley.
,, ,, Patritius Reddy.
,, ,, Ioannes Furlong.
,, ,, Ioannes O'Leary.
,, ,, Daniel O'Loan, Secretarius Assistens.
,, ,, Iacobus Madden.
,, ,, Michael Staunton.
,, ,, Milesius M'Manus.
,, ,, Thomas Smollen.

IIIa Deputatio, scil. *De Vita et Honestate Clericorum, neonon de Monialibus.*
Illmus et Rmus Archiepiscopus Cassiliensis, Praeses.
,, Episcopus Corcagiensis.
,, Episcopus Ossoriensis.
,, Episcopus Achadensis.
,, Episcopus Waterfordiensis.
,, Episcopus Clogherensis.
Rmus Abbas de Monte S. Iosephi.
Adm. Rev. D. Salvator Luzio.
,, ,, Nicolaus Walsh.
,, ,, Iacobus Kelly, Secretarius.
,, ,, Daniel Keller.
,, ,, Patritius White.
,, ,, Thomas Carmody.

Adm. Rev. P. Daniel MacIntyre, Oblat. Mar. Imm.
" " Matthaeus, Ord. S. Franc. Cap.
" " Livinus Nevin, Ord. Disc. Carm.
" " Andreas Boylan, Cong. SS. Redempt.
" " Philippus Coghlan, Cong. Pass.
" " Edvardus St. George, Ord. S. Aug.
" " Thomas Morrissey, Cong. Missionis.

IV^ta Deputatio. scil. *De Scholis.*
Illmus et Rmus Archiepiscopus Dublinensis, Praeses.
" Episcopus Limericensis.
" Episcopus Kerriensis.
" Episcopus Cloynensis.
" Episcopus Elphinensis.
" Episcopus Dunensis.
" Episcopus Darensis.
Adm. Rev. D. Petrus Byrne.
" " Giraldus Molloy, Secretarius.
" " Arthurus Ryan.
" " Petrus M'Glone.
" " Gulielmus Brennan.
" " Michael Kavanagh.
" " Andreas Murphy, Secretar. Assistens.
" " Gulielmus Hutch.
" " Michael P. O'Hickey, Secretar. Assistens.
" " Thomas Kelly.
" " Iacobus Daly.
" P. Michael Watters, Soc. Mariae.
" " Laurentius Healy, Cong. S. Spir.
" " Patritius Keating, Soc. Iesu.

V^a Deputatio, scil. *De Episcopis.*
Emus et Rmus Cardinalis Archiepiscopus Armacanus, Praeses.
Illmus et Rmus Archiepiscopus Dublinensis.

Illm̃us et Rm̃us Archiepiscopus Cassiliensis.
„ Archiepiscopus Tuamensis.
„ Episcopus Galviensis.
„ Episcopus Clonfertensis, Secretarius.
„ Episcopus Limericensis.
„ Episcopus Rapotensis, Secretarius.
„ Episcopus Waterfordiensis, Secretar.
„ Episcopus Darensis.

Postea nuntiavit Em̃us Praeses omnes Synodales, ex concessione Illm̃i et Rm̃i Archiepiscopi Dublinensis, gaudere, durante Synodo, facultate Confessiones excipiendi.

Tum Fidei Professio, iuxta formam a SS. PP. Pio IV. et Pio IX. praescriptam, emissa est ab omnibus qui ad eam emittendam tenebantur.

Forma Iuramenti

(*seu Professionis Fidei*).

"Ego, N.N., firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum," etc. (ut in cap. X. huius Synodi Decretorum, pag. 49).

Postulantibus deinde Promotoribus ut dies Secundae Sessionis indiceretur, et habita ea de re sententia Patrum, statuit Em̃us Praeses secundam Sessionem Solemnem habendam esse die Dominica proxime sequenti. Postea benedictionem solemnem omnibus impertivit.

Eodem die, hora secunda cum dimidio post meridiem, habiti sunt Deputationum conventus.

Hora septima cum dimidio post meridiem habitus est conventus Deputationis de Episcopis.

NUNTIUS TELEGRAPHICUS AD SUMMUM PONTIFICEM ET PONTIFICIS RESPONSIO.

Beatissime Pater,

Omnes Hiberniae Episcopi in Concilio Plenario legitime

congregati ad pedes Sanctitatis Tuae mente provoluti amorem et obsequium suum et suorum erga cathedram S. Petri testificari gestiunt, et Apostolicam Benedictionem sibi et gregibus suis humillime petunt, ut Synodus ad exitum felicem, Deo auxiliante, perducatur.

MICHAEL CARD. LOGUE.

EMO CARDINALI LOGUE, MAYNOOTH.

Concilio Plenario Episcoporum Hiberniae fausta et felicia quaecumque a Deo adprecatus Beatissimus Pater tibique et singulis Episcopis et Dioecesibus vestris Apostolicam Benedictionem peculiari affectu impertitur.

M. CARD. RAMPOLLA.

Die 29 *Augusti, Feria IV.*

Ante meridiem, hora decima cum dimidio, et post meridiem, hora secunda cum dimidio, habiti sunt Deputationum conventus.

Vespere, hora septima cum dimidio, habitus est conventus Deputationis De Episcopis.

Die 30 *Augusti, Feria V.*

Hora decima cum dimidio antemeridiana, habiti sunt Deputationum conventus.

CONGREGATIO PRIVATA PRIMA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio, in aula Conciliari convenerunt Patres cum Secretariis et Cancellario.

Perlecta sunt a Secretario seniore duo priora Capita Schematis a Deputatione de Scholis propositi, scil. *De Catholicae Iuventutis Institutione* et *De Scholis Nationalibus*. Plures prolatae sunt animadversiones, variaeque

emendationes propositae. De singulis Decretis exquisivit Praeses Patrum sententiam.

Emendationibus quibusdam factis, Decreta omnia a n. 428 usque ad n. 451 inclusive, sunt unanimi consensu adprobata praeter nn. 438, 444, et 445. Nonnullis Patribus videbatur Decretum n. 438 ut in Schemate propositum Parochorum Coadiutores nimis immunes relinquere. Contra n. 444 suffragium dedit unus Episcopus. Censebant nonnulli prohibitionem strictam esse Decreto n. 445 inserendam.

Haec vero tria Decreta, sicut cetera, a Patribus adprobata sunt.

Die 31 *Augusti, Feria VI.*

Hora decima cum dimidio antemeridiana, habiti sunt Deputationum conventus.

CONGREGATIO PRIVATA SECUNDA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio, convenerunt Patres cum Secretariis et Cancellario.

Rogavit Illm̃us et Rm̃us Archiepiscopus Dublinensis ut liceret die sequenti Decreta nn. 442, 443, 444, et 445, iam adprobata, iterum Congregationi submittere, eo praesertim fine ut sensus clarior redderetur. A Praeside et Patribus venia petita unanimiter est concessa.

Tunc variis prolatis sententiis et paucis adiectis emendationibus, probata sunt Capita *De Scholis quae a Monialibus diriguntur, De Scholis quibus Fratres praesunt, De Scholis Artium Technicarum et Agriculturae, De Collegiis et Scholis Litterarum Humaniorum, De Seminariis Ecclesiasticis, De Collegiis Reginae et De Universitate Acatholica Dublinensi*, et *De Universitate Catholica:* scil. Decreta omnia a n. 452 usque ad n. 495 inclusive, dilatis Decretis duobus, n. 455, scil. et n. 468.

Die 1 *Septembris, Sabbato.*

Ante meridiem, hora decima cum dimidio, habiti sunt Deputationum conventus.

CONGREGATIO PRIVATA TERTIA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio post meridiem, convenerunt Patres cum Officialibus.

Decreta nn. 442, 443, 444, et 445 Capitis *De Scholis Nationalibus*, iterum discussioni subiecta, cum modificationibus et additionibus propositis, probata sunt. Tum probata sunt Decreta duo pridie dilata, scil. n. 455, Capitis *De Scholis quae a Monialibus diriguntur*, et n. 468, Capitis *De Scholis quibus Fratres praesunt.*

Postea Decreta singula Capitum *De Sacramentis, De Baptismate, De Confirmatione*, .et *De Eucharistia* usque ad n. 76 inclusive, comprobarunt Patres.

SESSIO SOLEMNIS SECUNDA.

Die 2 *Septembris, Dominica.*

Hora decima antemeridiana, congregatis in capella Episcopis caeterisque Synodalibus, adstantibus clero et populo, Missam Solemnem *De Spiritu Sancto* celebravit Illm̃us et Rm̃us Archiepiscopus Dublinensis, Em̃o Delegato Apostolico in Throno praesidente. Sacerdos assistens ceterique ministri altari adstantes iidem erant ac in die primae Sessionis Solemnis.

Recitatis precibus Psalmisque praescriptis, recesserunt omnes praeter Synodales. Tum iterum sermone gravi Synodales breviter allocutus est Em̃us Praeses.

Subinde instituerunt Promotores ut legerentur Capita *De Catholicae Iuventutis Institutione, De Scholis Nationalibus, De Scholis quae a Monialibus diriguntur, De Scholis Artium Technicarum et Agriculturae, De Collegiis et Scholis Litterarum Humaniorum, De Seminariis Ecclesiasticis, De Collegiis Reginae et de Universitate Acatholica*

Dublinensi, De Universitate Catholica, De Sacramentis, De Baptismate, De Confirmatione: quae in Privatis Episcoporum Congregationibus iam sancita sunt. Quod cum ex Emi Praesidis mandato a Secretario factum esset, Decreta omnibus Patribus placuerunt.

Indicta est tertia Sessio Solemnis in diem sextam Septembris, feriam quintam proxime sequentem, nisi res aliud exigerent.

Die 3 Septembris, Feria II.

Hora decima cum dimidio antemeridiana, habiti sunt Deputationum conventus.

CONGREGATIO GENERALIS PRIMA.

Hora secunda cum dimidio post meridiem, convenerunt Episcopi cum Secretariis et Cancellario. Aderant et Capitulorum Procuratores, Ordinum Religiosorum Congregationumque Provinciales, ac Theologi Episcoporum.

Perlegit Concilii Secretarius Schema a Secretario Deputationis de Sacramentis sibi traditum, sub Capitibus *De Eucharistia* et *De Poenitentia.* Post quemque Schematis articulum perlectum, omnibus Synodalibus facta est a Praeside facultas ut, si quid ipsis dicendum occurreret, suam quisque sententiam libere in medium proferret. Significavit etiam Emus Praeses Patribus licere Theologos de singulis articulis interrogare prout ipsis expedire videretur.

Hac facultate ingenue usi sunt omnes. Variae prolatae sunt animadversiones, emendationesque propositae, quas, ab Episcopis in Privata Congregatione perpendendas, litteris consignarunt Secretarii.

CONGREGATIO PRIVATA QUARTA.

Eodem die, hora quarta cum dimidio, convenerunt Patres cum Secretariis.

Emendationibus nonnullis admissis, probata sunt De-

creta Capitis *De Eucharistia* a numero 77 usque ad n. 94 inclusive.

Deinde ab Illm̃o et Rm̃o Archiepiscopo Dublinensi relata est Postulatio Deputationis De Scholis, ut Epistola Synodi Pastoralis tam in lingua Hibernica quam in lingua Anglica ederetur. Re mature perpensa, petitioni adnuendum esse censuerunt Patres.

Die 4 Septembris, Feria III.

CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

Hora antemeridiana decima cum dimidio, habita est Congregatio Generalis Secunda.

Capita *De Censuris, De Extrema Unctione et Cura Infirmorum, De Ordine, De Matrimonio*, a Secretario perlecta sunt. Episcopis interrogantibus, plures a Theologis factae sunt animadversiones quas litteris mandavit Secretarius.

Postea Theologis, Capitulorum Procuratoribus, et Provincialibus, significavit Em̃us Praeses, ut, dum habetur Congregatio Privata, in altera aula seorsim convenirent, utque, disceptatis aliquot quaestionibus, sententias postea Patribus renuntiarent. Res sic considerandae hae erant; 1° Expediretne hospitia instituere ad sacerdotes sive infirmos sive lapsos suscipiendos? 2° Quaenam methodus optima videretur ad assecuranda aedificia ecclesiastica contra damna quae ex incendiis oriantur?

CONGREGATIO PRIVATA QUINTA.

Eodem die, hora duodecima cum dimidio post meridiem, convenerunt Patres cum Officialibus.

Decreta Capitis *De Eucharistia* a numero 95 ad n. 101 inclusive, quibusdam emendationibus factis, sunt adprobata.

Deputatio specialis constituta est ut Schema regularum conficiat quibus obligatio Decretorum Synodi declaretur. Ad Deputationem nominati sunt Illm̃i et Rm̃i Archiepiscopus Dublinensis, Episcopi Clonfertensis et Darensis.

CONGREGATIO PRIVATA SEXTA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio post meridiem, convenerunt Patres cum Secretariis et Cancellario.

Decretum n. 108 Capitis *De Eucharistia* iterum Deputationi de Sacramentis remissum est: Decretum n. 118 eiusdem Capitis est dilatum ut verba aptiora redderentur; pariter dilata sunt Decreta nn. 112, 113, 114, et 115.

Longiore disceptatione actum est de numero festorum de praecepto in Hibernia servandorum. Affirmabant Episcopi 10, negabant 14, petendum esse a Sede Apostolica ut horum festorum numerum minuere dignaretur. Denique unanimi consensu Patres censuerunt ampliores petendas esse facultates dispensandi in lege ab operibus servilibus diebus festis abstinendi.

Reliqua Decreta Capitis *De Eucharistia*, necnon Decreta Capitum *De Poenitentia*, *De Censuris*, *De Extrema Unctione et de Cura Infirmorum*, *De Ordine*, atque *De Matrimonio*, sunt adprobata.

Ob gravem rationem a Iudicibus Causarum probatam, veniam abeundi per unam alteramve diem Patres concesserunt Illmo et Rmo Episcopo Rossensi. Pariter graviorum negotiorum causa Rmo Cancellario veniam Dublinum eundi impertierunt.

CONVENTUS SYNODALIUM PRIMUS.

Eodem die, hora duodecima cum dimidio, constitutus est conventus Synodalium eorum qui suffragium decretorium in Synodo non habebant, ad varias quaestiones ab Emo Praeside illis relatas agitandas.

Die 5 Septembris, Feria IV.

Hora decima ante meridiem, Missam *De Requie* pro Episcopis Hiberniae defunctis qui post primum Concilium Plenarium Maynutianum anno 1875 habitum e vita migra-

verant, solemniter celebravit Illmus et Rmus Episcopus Galviensis. Iidem ministri sacri ac in die secundae Sessionis Solemnis ad altare adstiterunt.

Hora undecima habiti sunt Deputationum quarumdam conventus.

CONGREGATIO PRIVATA SEPTIMA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio, convenerunt Patres cum Officialibus.

Perlegit Secretarius Capita *De Fide Catholica, De Fide et Ratione, De Ecclesia et Romano Pontifice, De Fidei Professione emittenda, De Fidei Periculis evitandis, De Libris Pravis vitandis.*

Additis nonnullis emendationibus, probata sunt Decreta. Deinde agebatur de periculis quibus emigrantes in regiones exteras sunt obnoxii, et de remediis comparandis. Haec quaestio iussu Praesidis remissa est Synodalibus qui Congregationi Privatae non intererant excutienda.

Constituta est Deputatio Theologorum et Capitulorum Procuratorum, qui moderante Adm. Rev. P. Ludovico Hickey, Prov. Ord. Praed., relationem Episcopis submittendam conficerent de facultatibus a S. Sede impetrandis.

Hora septima cum dimidio vespertina, habiti sunt Deputationum quarumdam conventus.

Die 6 Septembris, Feria V.

CONGREGATIO GENERALIS TERTIA.

Hora decima cum dimidio antemeridiana, habita est Congregatio Generalis tertia.

Perlectum est Caput *De Vita et Honestate Clericorum.* Post plures Theologorum animadversiones et responsiones, dicta Oratione, Congregationi finis impositus est.

CONGREGATIO PRIVATA OCTAVA.

Hora secunda cum dimidio post meridiem, convenerunt Patres cum Officialibus.

Capitis *De Parochis et Paroeciarum Administratoribus* Decreto n. 272 perlecto, de Examine pro paroeciis vacantibus instituendo longius disceptatum est. Affirmabant Episcopi 11, negabant 13, hanc Schematis partem esse iterum remittendam Deputationi de Vita et Honestate Clericorum. Huius Capitis Decreta, a numero 272 ad n. 283 inclusive, sunt approbata.

Sancita est Deputatio in Congregatione anteriori nominata Sacerdotum peritorum qui novam Ritualis Romani editionem ad usum Cleri Hibernici conficerent. Membra sunt Illmus et Rmus Episcopus Cloynensis, Adm. RR. DD. Gulielmus Hutch, S.T.D., Daniel O'Loan, S.T.D., Michael P.O'Hickey, S.T.D., Iacobus Dunne, et Malachias O'Callaghan, Cong. Missionis.

CONVENTUS SYNODALIUM SECUNDUS.

Eodem die, hora secunda cum dimidio, habitus est conventus Synodalium de rebus iis remissis, praesertim de ephemeride Catholica instituenda.

CONGREGATIO PRIVATA NONA.

Die 7 Septembris, Feria VI.

Hora decima cum dimidio, convenerunt Patres cum Secretariis et Cancellario.

Instante Illmo et Rmo Archiepiscopo Dublinensi, Decreta nn. 272 et seq. de Examine pro paroeciis vacantibus, hesterno die approbata, Deputationi speciali sunt remissa, ut res tota, in forma meliori ordinata, Congregationi iterum submitteretur. Ad hanc Deputationem constituendam nominati sunt Dublinensis, Clonfertensis, Waterfordiensis, et Clogherensis.

Altera deinde constituta est Deputatio ad Decreta in

Congregationibus Privatis dilata colligenda, ne quid a Synodo agendorum praetermitteretur. Ad hanc Deputationem nominati sunt Dublinensis, Galviensis, Waterfordiensis, et Darensis.

Caput *De Parochis et Paroeciarum Administratoribus* perlectum est: aliquot emendationibus admissis, probata sunt Decreta a numero 284 ad n. 290.

Adprobantibus Iudicibus Causarum, venia Dublinum eundi graves ob rationes concessa est Illmo et Rmo Episcopo Elphinensi.

Deinde, dicta Oratione, finem accepit Congregatio.

CONVENTUS SYNODALIUM TERTIUS.

Eodem die, eademque hora, in altera Collegii aula convenerunt, praeter Cancellarium, Synodales omnes quotquot suffragium decretorium in Synodo non habebant, ad quaestionem de periculis emigrantium, iis a Praeside et Synodo remissam, investigandam.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMA.

Eiusdem diei hora secunda cum dimidio, convenerunt Patres cum Secretariis et Cancellario.

Decreta Capitum *De Vita et Honestate Clericorum*, *De Parochis et Paroeciarum Administratoribus*, a n. 291 usque ad finem, necnon Decreta Capitis *De Coadiutoribus Parochorum et de aliis Sacerdotibus Saecularibus*, cum aliis Decretis quae proposuit Deputatio de Episcopis, variis adiectis emendationibus, sunt adprobata.

Cum autem ad Decreta nn. 317, 318, et 319, perventum est, Rmus Abbas de Monte Mellerario ad Synodum tulit ut Sacerdotum Congregatio in Hibernia institueretur, quae temperantiam, necnon ab omnimodo potu inebrianti abstinentiam, promoveret.

Eminentissimo Praeside auctore, tota res conventui Synodalium prius excutienda commissa est.

Quod ad totum Caput *De Viris Religiosis* attinet,

non eadam erat omnium Patrum sententia. Quidam enim hoc Caput omittendum censuerunt. Deinde Capitis praefatione deleta, Decretum n. 360 est adprobatum, affirmantibus Episcopis 13, negantibus 12. Deinde agebatur de Decreto n. 228 prioris Synodi Plenariae Maynutiae anno 1875 habitae, quod Patres tollendum statuerunt.

SESSIO SOLEMNIS TERTIA.

Die 8 *Septembris, Sabbato.*

Hora decima antemeridiana, congregatis in capella Collegii Episcopis ceterisque Synodalibus, adstantibus clero et populo, Missam de Festo Nativitatis B.V.M. celebravit Rm̃us D. Petrus Byrne, S.S. Praelatus Domesticus, Procurator Capituli Armacani. Inde, recitatis precibus Psalmisque praescriptis, recesserunt omnes praeter Synodales.

Tum instituerunt Promotores ut legerentur Decreta Capitum *De Fide Catholica, De Fide et Ratione, De Ecclesia et Romano Pontifice, De Fidei Professione emittenda, De Fidei periculis evitandis, De Libris Pravis vitandis, De Eucharistiae Sacramento et Sacrificio Missae, De Poenitentia, De Censuris, De Extrema Unctione et de Cura Infirmorum, De Ordine, De Matrimonio,* et Decreta nonnulla Capitis *De Parochis et Paroeciarum Administratoribus.* Quod cum ex Em̃i Praesidis mandato a Secretariis factum esset, Decreta omnibus Patribus placuerunt.

Indicta est Sessio Solemnis quarta in diem 11 Septembris, feriam tertiam hebdomadae proxime sequentis.

Denique Em̃us Praeses, benedictione solemni omnibus impertita, finem Sessioni imposuit.

CONGREGATIO PRIVATA UNDECIMA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio, convenerunt Patres, cum Secretariis et Cancellario.

Schema quorumdam Decretorum *De Vita et Honestate Clericorum,* a Deputatione de Episcopis relatum, a Secretario

est perlectum. Deinde Decreta singula examini subiecta sunt. Longior evasit disceptatio de quibusdam additamentis Decreto n. 177 inserendis, quae denique haud acceptata sunt.

Diversae quoque prolatae sunt sententiae de modo exprimendi Decretum n. 180, quo prohibetur ne clerici intersint vel publicis equorum cursibus vel theatrorum publicorum spectaculis. Quod vero ad venationem prohibitam attinet, Decretum uti emendatum unanimi ferme plausu est acceptatum; alii enim Episcopi, quorum in dioecesibus maxime viget inter populum venandi consuetudo, exposuerant nullomodo aequiparari posse venationem et equorum cursus cum agitur de necessitate utrumque clericis interdicendi: alii praeterea monuerant talem venationem cum venatione clamorosa in Canonibus prohibita nihil commune habere.

Postea variis factis emendationibus, Decreta Capitis *De Vita et Honestate Clericorum*, paucis vero dilatis, atque Decreta Capitis *De Episcopis*, a numero n. 214 usque ad n. 223 adprobata sunt.

Tunc, dicta Oratione, Congregationi finis impositus est.

CONVENTUS SYNODALIUM QUARTUS.

Eodem die, eademque hora, convenerunt in altera Collegii aula Synodales ii quibus non erat ius Congregationi Privatae interesse, ad excutiendum quod ipsis remiserat Emus Praeses: utrum scilicet expediret novam in Hibernia instituere Congregationem Sacerdotum, cuius esset munus temperantiam vel abstinentiam ab usu potus inebriantis speciali modo promovere.

CONGREGATIO PRIVATA DUODECIMA.

9 *Septembris*, *Die Dominica*.

Hora decima cum dimidio, convenerunt Patres cum Secretariis et Cancellario.

Deputatio specialis est constituta, ad quam pertinebant

Clonfertensis, Achadensis, Cloynensis, Derriensis, et Caneensis, ut Epistolam Pastoralem a Limericensi, rogante Praeside Emo, confectam, crastinoque die legendam, recenserent.

Tum adprobata sunt Decreta nn. 112, 113, 114, et 115.[1] Deinde cetera Decreta a Deputatione de Episcopis relata, modificationibus nonnullis factis, sancita sunt a numero 224 ad n. 262, et a n. 370 usque ad n. 408. Quaedam alia Decreta, antea dilata, nunc quoque comprobarunt Patres.

Oratione dicta, finem accepit Congregatio.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMA TERTIA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio, convenerunt in aula Conciliari Patres cum Officialibus.

Rev. DD. Iosephus Mac Rory, S.T.D., et Michael P. O'Hickey, S.T.D., constituti sunt Synodi Procancellarii.

Episcopus Ossoriensis postulavit ut per aliquot horas crastino die, ob gravem rationem a Iudicibus Causarum probatam, Episcopo Dunensi abire liceret; quod Patres illico concesserunt.

Deinde plura Decreta ante dilata, et nunc a Deputatione de Episcopis proposita, sunt probata. Postea Deputatio specialis quae ex Episcopis Ossoriensi, Kilmorensi, Kerriensi, et Laonensi constaret, nominata est ad Acta Synodi a Secretariis confecta recensenda.

Denique perlecta est relatio quam submiserant Synodales de periculis emigrantium; et Deputatio specialis Episcoporum, scilicet, Galviensis, Corcagiensis, Derriensis, Cloynensis, Elphinensis, Darensis, et Dunensis, constituta est ad causam tuendam, tum emigrantium, tum etiam militum et nautarum.

[1] Vid. supra, pag. 26.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMA QUARTA.

Die 10 *Septembris, Feria II.*

Hora decima cum dimidio, convenerunt Patres cum Secretariis et Cancellario. Decreta quaedam *De Scholis*, hactenus dilata, cum emendationibus admissis, sunt adprobata. Decreta nn. 272 et seq., de Examine pro paroeciis vacantibus, emendata omnibus placuerunt.

Excussa est quaestio de Catechismo novo pro tota Hibernia conficiendo, quam Patres, cum res adeo diverse in diversis locis se habeant, ad Synodos potius Provinciales deferendam censuerunt.

Censuerunt Patres Romam transmittenda esse nova officia Sanctorum Hibernensium dioecesium Patronorum, quae, ex lectionibus ab Illmo et Rmo Bartholomaeo Woodlock, Episcopo Trapezopolitano, olim Ardaghensi, praeparatis, Deputatio specialis Episcoporum anno superiore confecit, atque supplicandum esse ut haec officia, in quantum opus esset emendata, S. Sedes recognoscere et adprobare dignaretur. Omnibus quoque Patribus placuit suppliciter rogare ut quaedam ex his officiis in Calendario Ecclesiae generali inserenda decerneret Sedes Apostolica.

Tum exposuit Illmus et Rmus Archiepiscopus Dublinensis quousque iam pervenisset processus canonicus praeliminaris, Dublinii nomine Archiepiscoporum et Episcoporum Hiberniae institutus, canonizationis illorum Hibernorum qui tempore persecutionum mortem pro fide perpessi sunt. Patres unanimi consensu rem Dublinensi commiserunt, ut eorum nomine etiam novum, si ipsi videretur necessarium, processum instituat.

Speciali petitioni ut causa Ven. Oliveri Plunkett suscipiatur, nomina sua, invitante Emo Praeside, libentissime subscribunt omnes ad unum.

Deinde res omnes a S. Sede huic Concilio commissae et nondum plene excussae seriatim considerationi subiiciuntur, perlectis iterum Sedis Apostolicae Litteris, 30 mensis Martii, 31 Iulii, 4 Septembris, et 12 Decembris datis.

Relatio de hospitiis pro sacerdotibus sive infirmis sive lapsis constituendis, a Deputatione submissa, est perlecta. Cum vero Deputatio censuisset ob plures rationes non fore consultum huiusmodi hospitia in Hibernia instituere, Patres rem deferendam iudicaverunt, et interea alia remedia, a Deputatione proposita, ut res exigerent, esse adhibenda.

Tum perpensa relatione de nova instituenda Congregatione sacerdotum ad dimicandum contra vitium intemperantiae in potu inebrianti, tota haec res Deputationi Speciali Episcoporum est commissa. Membra Deputationis sunt Illm̃i et Rm̃i Episcopi Fernensis, Limericensis, Waterfordiensis, Elphinensis, et Rm̃us Abbas de Monte Melleario.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMAQUINTA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio pomeridiana, convenerunt Patres cum Secretariis et Cancellario.

Privilegiorum Elenchus quae a S. Sede impetrare desiderant Patres probatus est.

Perlecta relatione de ephemeride Catholica instituenda, Deputationem ad opus perficiendum nominavit Synodus, quae constat ex Illm̃is et Rm̃is Episcopis Clonfertensi, Limericensi, Waterfordiensi, Darensi, Dunensi, Elphinensi, Rossensi (Secretario), et Caneensi.

Tum excussa est relatio Patribus submissa de ratione meliori aedificia ecclesiastica contra damna quae ex incendio oriantur assecurandi. Munus societatem ad hunc finem condendi commissum est Archiepiscopo Dublinensi, una cum Praesulibus iam supra memoratis.

Tunc prolata est relatio de domibus cuiusque Congregationis Sororum, quales sunt Moniales Praesentationis et Sorores de Misericordia, in eadem dioecesi

vel provincia sub unica Superiorissa consociandis. Perlecta est etiam relatio de modo quo melius provideri possit ut disciplina speciali conformentur moniales eae iuniores quae vel (*a*) operam scholis sint daturae, vel (*b*) sint ad infirmos in nosocomiis curandos destinatae. Hae relationes Patribus placuerunt; quae ut ad effectum adducerentur Synodus Deputationem Episcoporum constituit cuius esset regulas his in casibus servandas conficere. Huiusce Deputationis membra sunt: Illmus et Rmus Archiepiscopus Dublinensis, Illmi et Rmi Episcopi Limericensis, Kerriensis, Cloynensis, Dunensis, Darensis, et Elphinensis.

Ad periculum ex librorum pravorum lectione proveniens longius a fidelibus arcendum, statuit Synodus munus esse Deputationis specialis postea seligendae una cum Societate nuper in Hibernia instituta (*The Catholic Truth Society of Ireland*) quae libris libellisque pervulgandis veritatem Catholicam defendit ac tuetur, catalogum conficere librorum bonorum, eumdemque, factis debitis additionibus, in usum bibliopolarum Catholicorum identidem edere.

Postea rogavit Synodus Emum Praesidem, ut datis litteris S. Sedi exponeret rationes ob quas consultius fore censent Episcopi consuetudinem in Hibernia diu vigentem tolerari, qua, seclusa semper prima dignitate, omnes Canonicos, reservatione mensium non servata, eligunt Episcopi.

Simul vero Praesules unanimi consensu statuerunt adlaborandum esse ut Capitulorum conventus in ecclesia cathedrali, ut in nonnullis Hiberniae dioecesibus iam fieri solet, saltem ter aut quater in anno habeantur.

In medium protulit Illmus et Rmus Archiepiscopus Dublinensis SS. D.N. Summum Pontificem paucis ante mensibus mandatum illi, dum Romae erat, dedisse ut Patribus in Synodo exponeretur quam ardenter exoptaret ut ex unaquaque dioecesi Hiberniae unus saltem alumnus ad

Collegium Hibernensium de Urbe mitteretur; quod ut ad effectum demandaretur Patres Decretum n. 484 laetissimi statuerunt.

Subinde actum est de Examine sacerdotum iuniorum singulis annis, saltem per quinquennium post munia sacri ministerii in dioecesi suscepta, in scientiis sacris habendo: de quo statuerunt Patres Decreta nn. 201 et 202.

Ad finem Illmus et Rmus Episcopus Limericensis Epistolam Pastoralem, quam nomine Synodi edendam ipse, rogante Praeside Emo, confecerat, iam Deputationi submissam, attulit ut iudicio Patrum subiiceretur. Quam perlectam Patres magno cum plausu, nulla proposita emendatione, acceperunt.

CONGREGATIO GENERALIS QUARTA.

Eodem die, hora septima cum dimidio vespertina, in Aula Conciliari convenerunt Praesules et omnes Synodales una cum Secretariis et Officialibus.

Perlecta sunt a Secretario Decreta Capitum *De Vita et Honestate Clericorum, De Vicariis Generalibus et Foraneis, De Coadiutoribus Parochorum et de aliis Sacerdotibus Saecularibus, De Viris Religiosis, De Monialibus, De Dissensionibus inter Viros Ecclesiasticos evitandis, De Litibus evitandis,* et *De Archivis constituendis.* Decreta omnibus Patribus placuerunt praeter ea quae sunt *De Viris Religiosis:* contra illa Decreta Praesules duo suffragium tulerunt, *Non placet.*

Deinde, Oratione dicta, Congregatio finem accepit.

SESSIO SOLEMNIS QUARTA.

Die 11 *Septembris.*

Hora decima celebrata est Missa Solemnis ab Illmo et Rmo Archiepiscopo Tuamensi, Emo Delegato Apostolico in throno praesidente. Sacerdos assistens, ceterique ministri altari adstantes iidem erant ac in die primae Sessionis Solemnis.

Caeremoniis omni splendore peractis, facunde disseruit Emũs Praeses de opere bono quod Synodus adimpleverat. Deinde perlecta sunt Decreta Capitum *De Episcopis*, *De Foro Ecclesiastico*, *De Bonis Ecclesiasticis*, *De Cura Defunctorum*, una cum aliis quae in ultimis Congregationibus Privatis iam erant sancita. Omnibus Patribus placuerunt Decreta.

Tum Emũs Praeses, postquam Decreta typis expressa ad S. Sedem mittenda esse declaravit, ad Patres tulit ut munus operi dum sub prelo est praevidendi Archiepiscopo Dublinensi concrederent, facultate facta Decretorum ordinem ac verborum collocationem necnon verba ipsa eatenus immutandi quatenus ipsi expedire videretur, salvo semper vero sensu Decretorum: cui Patres unanimi adsensi sunt suffragio. Deinde Emũs Praeses Decretum de subscribenda Synodo promulgavit.

A Patribus inde Decretis rite subscriptis, et omnibus peractis quae in Pontificali Romano praescribuntur, Acclamationes quae sequuntur in fine Synodi cantatae sunt.

ACCLAMATIONES.

1. Deo Patri misericordiarum et totius consolationis Auctori, gratiae.

Chorus. Immensa est misericordia tua, Domine, super nos, qui nos verum disciplinae regimen docere, et post diras tot saeculorum calamitates, hac tertia Plenaria Synodo Ecclesiam nostram augere dignatus es; tibi honor, tibi laus, tibi gloria in saecula aeterna.

2. Beatissimo Leoni Papae et Dño Nostro, Ecclesiae Christi Pontifici Maximo, cunctarum gentium obedientia, et verae fidei per totum orbem propagatio.

Chorus. Benignissime Deus, sanctissimum Patrem nostrum Ecclesiae tuae conserva ut, eo gubernante, universae gentes tibi verum obsequium praestent, et quae dispersae sunt, in unum Ecclesiae tuae ovile colligantur.

3. Emõ et Illmõ D. Cardinali, Archiepiscopo Armacano,

Totius Hiberniae Primati, Delegato Apostolico et Praesidi huius Synodi, ceterisque Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae et universo clero, cum multis annis, salutaris super gregem vigilantia, in laboribus constantia, et omnia fausta.

Chorus. Deus gratiarum largitor, infunde super Pastores tuos tui Spiritus abundantiam, et corda eorum in aedificationem Ecclesiae tuae accende, ut gregem eis commissum ad aeterna tabernacula ducere valeant.

4. Omnibus Regni huius fidelibus, et cuncto populo christiano, perseverantia in avita fide, atque in mente et corpore pax Christi aeterna.

Chorus. Da pacem, Domine, in diebus nostris, et adversus diabolicos incursus, atque haeresum omnium conatus, illibatam plebi tuae salutis doctrinam conserva; confirma in virtute gressus eius, et benignitatis tuae perpetuum illi rorem infunde.

Praeses. Domine, Nos operarii in messem tuam missi ministerium nostrum adimplentes huiusque Concilii Decreta vigilanti animo exsequentes, digni reddamur aeterna mercede; intercedente Beata et Gloriosa Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apostolis Petro et Paulo, Beato Patritio huius regni Apostolo, atque Beato Patrono nostro Malachia.

Chorus. Amen, Amen, Amen.

Denique Emũs Praeses finem Synodo imposuit sequenti decreto: Michael tit. S. Mariae de Pace, S.R.E. Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Armacanus, Totius Hiberniae Primas, Delegatus Apostolicus, huius Synodi Praeses, Deo auctore et adiutore, cum absoluta sint quae pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, cumque pastoralis cura RR. DD. Episcopos qui huc in Concilium evocati sunt, ad ecclesiarum suarum stationem et pastoralem vigilantiam revocet: propterea huius Synodi finem iure faciendum censuimus.

Datum in Synodo, die 11 Septembris, 1900.

✠ Michael Card. Logue.

DECRETA

SYNODI PLENARIAE EPISCOPORUM HIBERNIAE,

HABITAE APUD MAYNUTIAM.

AN. 1900.

I.

DE APERIENDA SYNODO.

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Nos, Michael, tituli Sanctae Mariae de Pace, Presbyter Cardinalis, Sanctae Sedis Apostolicae Delegatus ad hanc Synodum convocandam eique praesidendum, Archiepiscopus Armacanus, totiusque Hiberniae Primas, ad laudem ac gloriam omnipotentis Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, ad honorem Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Patritii, et omnium Sanctorum, ad incrementum fidei ac religionis Catholicae, ad pacem et unionem Ecclesiae huius regionis promovendam, et ad reformationem Cleri et Populi, statuimus ac decernimus, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Hiberniae, hoc ipso die, qui vigesimus octavus est mensis Augusti, adiutrice divina misericordia, initium fieri atque iam factum esse Concilii Plenarii Hiberniae; quod rite, et auctoritate a Sancta Sede Apostolica, cuius Delegatus sumus, Litteris

datis die 12 Iunii proxime elapsi, accepta, convocavimus in diem 28 Augusti; quae Concilii inchoatio felix sit ac fausta, et in religionis incrementum et in maiorem Dei gloriam bene vertat.

II.

DE MODO VIVENDI.

Cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum, cumque, nisi Dominus custodiat civitatem, frustra vigilet qui custodit eam, Synodus haec Plenaria fideles omnes, praecipue vero Episcopos et Sacerdotes, monet et hortatur, ut assidue divinam implorent opem, et sine intermissione preces Deo effundant, rogantes ut sapientiam assistricem sedium suarum de caelo mittat, ut Patribus huius Concilii adsit et cum ipsis laboret. Omnes porro qui Concilio intersunt in meditationem divinarum rerum sedulo incumbant; Missae Sacrificium vel quotidie celebrent, vel eidem devote assistant; Preces Horarias Divini Officii digne, attente, ac devote studeant recitare, et iisdem, si in ecclesia celebrentur, intersint: ea demum omnia quae de ratione vivendi iam a Sacrosancta Tridentina Synodo tam plene sunt tradita, et prae mente habeant, et exsecutioni mandare curent. Cum autem in eum finem haec Synodus sit congregata ut promoveatur Dei honor atque gloria, Ecclesiae decus augeatur, atque concordia sacerdotalis firmetur, omnia sedulo sunt evitanda quae ad animos concitandos, aut ad caritatis vinculum violandum tendant. Itaque in sententiis dicendis, magna verborum moderatio adhibenda est, et ab omni violentia et perturbatione abstinendum. Magna tamen libertas proferendi quae sentiunt est omnibus in Domino concedenda.

III.

DE PRAEIUDICIO NON AFFERENDO.

Quod si cui contigerit in hanc Plenariam Synodum non iure admissum fuisse, vel suo proprio loco non sedere, sententiamve dicere, aut aliud quidpiam agere, vel si forte aliqua ratione propria alicui privilegia non concedantur, declaramus ac decernimus nullum ipsi ius novum esse ideo acquirendum, vel praeiudicium inferendum; omnium enim iura sarta tectaque esse volumus.

IV.

DE OFFICIALIBUS

Cum autem ad huius Plenarii Concilii actiones ac tractationes ministri nonnulli requirantur, ideo sequentes eliguntur, nempe;—

Promotores; Illm̃us et Rm̃us D. Episcopus Galviensis, et Illm̃us et Rm̃us D. Episcopus Darensis ac Leighlinensis.

Secretarii: Illm̃i et Rm̃i DD. Episcopus Clonfertensis, Episcopus Rapotensis, et Episcopus Waterfordiensis ac Lismorensis.

Caeremoniarii: RR. DD. Patritius O'Leary, Iacobus Dunne, et Ioannes Delaney.

Cancellarius: Rm̃us D. Giraldus Molloy, Praelatus Domesticus Suae Sanctitatis, Rector Univ. Cath. Hiberniae.

V.

DE IUDICIBUS CAUSARUM PERSONALIUM IN SYNODO OCCURRENTIUM.

Ne vero singulorum causae possint cursum impedire graviorum rerum quae a Nobis in hac Plenaria Synodo agi debent

ideo Illmi et Rmi DD. Episcopi Ossoriensis, Laonensis, Kilmorensis, et Alladensis huic muneri praeficiuntur ut absentium excusationes, causasque ante dimissam Synodum abeundi, si quae a quopiam allegentur, cognoscant easque ad Nos deferant. Duo ex praedictis Episcopis ad causam quamlibet dirimendam sufficiant.

VI.

DE NON DISCEDENDO ET DE SECRETO SERVANDO.

Demum universis qui ad hanc Synodum Plenariam convenerunt, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in Iure statutis praecipimus, ne antequam Synodus ad exitum perducta fuerit, et eius acta fuerint subscripta, discedant, nisi ob iustas et rationabiles causas facultas recedendi a Patribus concessa fuerit; et ne secreta ad Synodum spectantia publici iuris faciant.

VII.

DE FIDE CATHOLICA.

1. "Nullae sunt maiores divitiae," inquit sapienter Augustinus, "nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quam est Fides Catholica, quae peccatores homines salvat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, poenitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas et coniuges casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis caelestibus praeparat, in aeterna haereditate cum angelis sanctis communicat." (Serm. 1 de Verbo Dei.) Quae quidem verba tamquam in compendio ea omnia exprimere videntur, quae in Sacris

Litteris de fide traduntur, et clarissime ostendunt quanto in pretio praeclara illa virtus sit habenda.

2. Itaque Constitutiones nostrae initium sumant a fide oportet, sine qua impossibile est placere Deo, et "sine qua nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum" (S. Leo, Serm. 4, in Nat. Domini). Licet enim in Domino gloriari possimus regionem hanc nostram, divino beneficio, numquam foedatam inventa nova aliqua haeresi fuisse, tamen in re tanti momenti vigilare nos oportet, et contendere ut depositum tam pretiosum omni cura et quam accuratissime custodiatur.

3. Imprimis igitur cum Concilio Vaticano[1] dicimus fidem, quae est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, "virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem, naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest."

4. Cum igitur fides sit assensus propter auctoritatem Dei, qui nec falli nec fallere potest, si certo constat Deum esse locutum, nihil potest assensu fidei rationabilius esse: nihil ergo nisi calumnia Rationalistarum est Catholicos sine ratione vel etiam contra rationem credere, et fidei assensum motum esse animi caecum. Porro ut fidei obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quinimmo Ecclesia per se ipsam, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem, et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob Catholicam unitatem invictamque stabili-

[1] Const. *Dei Filius*, cap. 3.

tatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Benignissimus insuper Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint, et eos quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur.[1]

5. Porro fide Divina et Catholica ea omnia credenda sunt quae in Verbo Dei Scripto vel Tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio,[2] aut a Romano Pontifice cum ex Cathedra loquitur, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Ecclesiae enim Catholicae, regno scilicet Christi spirituali, extra quam nec vera fides nec salus aeterna inveniri potest, omnem veritatem suam revelatam, tamquam depositum maxime pretiosum, in aevum commisit ipse Dominus, ab Apostolis et eorum successoribus, praesertim vero a Romano Pontifice, Beati Petri successore, custodiendum atque fidelibus pro vitae aeternae alimonia tradendum. Haec igitur Ecclesia, revelationis custos et magistra veritatis, pro nata occasione ex thesauro suo divitias caelestis doctrinae fidelibus depromit.

6. Animadvertendum tamen est, novis his fidei definitionibus nihil accedere incrementi deposito fidei a Christo Domino nostro Ecclesiae suae concredito. Veritas enim ipsa definita semper in deposito fidei continebatur, et nihil aliud agit Ecclesia, nisi, graves ob rationes, doctrinam ab initio revelatam et a Christi fidelibus saltem implicite creditam, solemniter declarare, et explicite in posterum credendam proponere.

7. Satis vero non est veritates de fide definitas credere et haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores

[1] Conc. Vatic., Const. *Dei Filius*, cap. 3. [2] Ibid.

diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; unde, ait Concilium Vaticanum,[1] omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones et Decreta quibus pravae eiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt. Graviter ideo reprehendendi sunt Catholici illi qui liberales audiunt, qui magisterium Ecclesiae inter arctissimos circumscribere volunt limites, et solemnes solum ex cathedra definitiones accipiendas esse arbitrantur, reliquis parvi pensis Constitutionibus et Decretis Apostolicis. Catholicis veri nominis curae sit semper, non solum solemnibus Ecclesiae definitionibus, sed omnibus Constitutionibus et Decretis Apostolicis reverenter ac humiliter se submittere, et debitum obsequium et obedientiam Ecclesiae pastoribus, maxime vero Romano Pontifici, praestare.

8. Innumeros fere errores perniciosos et periculi plenos recentioribus temporibus sparsos fuisse scriptis publice editis omnes norunt, quorum plurimos Encyclicis aliisque Apostolicis Litteris proscripsit Summus Pontifex Pius IX., fel. rec., quorumque Syllabum quem conficiendum curavit publici iuris fecit. Hunc Syllabum cum Synodi nostrae Actis et Decretis edendum volumus,[2] ut fideles, errorum scopulos agnoscentes, facilius eos evitent, et rectae veritatis semitae insistant.

9. Magnopere expedire censemus ut in Collationibus theologicis agatur non solum de casibus conscientiae, sed de erroribus qui nunc vigent, maxime de iis qui fundamentis Religionis Naturalis opponuntur, et ut Episcopi librum aliquem probatum de his erroribus tractantem seligant, in quo presbyteri in Collationibus examinentur.

10. Gratias debemus Deo agere eo quod, non solum nobis et genti nostrae pretiosum fidei donum misericorditer contulerit, verum etiam illud inter maximas angustias et diuturnas persecutiones sartum tectumque servaverit, atque

[1] Const. *Dei Filius.* [2] Vid. Append. pag. 14.

hisce nostris temporibus, dum res Catholicae alibi turbantur et fideles graviter opprimuntur, pacem et libertatem non mediocrem religioni tribuerit.

11. Faxit Deus ut peccatis et divinae legis oblivione iram ipsius numquam provocemus, sed semper bonis operibus abundemus, ne forte apud nos religio detrimenti aliquid capiat: namque morum corruptionem et cordis duritiam et animi superbiam fidei fundamenta convellere experientia docet, dum e contra vita innocens et continens cum bonis operibus et humilitate eamdem firmat et auget.

VIII.

DE FIDE ET RATIONE.

12. Quamvis fides sit supra rationem, nulla inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse profitemur. Et Ecclesia quae, una cum Apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi.[1]

13. Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat.[2]

14. Cum definitiones Ecclesiae verum sensum doctrinae a Deo revelatae fidelibus proponant, numquam potest tolerari

[1] Conc. Vatic., Const. *Dei Filius*, cap. 4. [2] Ibid.

ut, sub praetextu progressus scientiae, dogmatibus ab Ecclesia definitis sensus tribuatur alius ab eo quem semper intellexit et intelligit Ecclesia.

IX.

DE ECCLESIA ET ROMANO PONTIFICE.

15. Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum Redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua, veluti in domo Dei viventis, fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur.

16. Profitemur iuxta Evangelii testimonia Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse.

17. Quod autem in beato Apostolo Petro Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata supra petram ad finem usque saeculorum firma stabit, iugiter durare necesse est.

18. Insuper secundum auctoritatem Oecumenicorum Conciliorum Florentini et Vaticani, confitemur sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.[1]

[1] Conc. Vat., Const. *Pastor Aeternus*.

19. Profitemur Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones, ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.

20. Denique, supremum animarum Pastorem, Iesum Christum Dominum nostrum, beatissimam et immaculatam Virginem Mariam, eiusque coniugem fidelissimum beatum Iosephum, et beatum Patritium sanctosque Hiberniae imploramus, ut Sanctam Sedem protegant, illustrissimum Pontificem feliciter regnantem, Leonem XIII., pluribus doloribus oppressum consolentur, et splendidissimum eius pontificatum plena libertatis et iurium Sedis Apostolicae restitutione coronent.

X.

DE FIDEI PROFESSIONE EMITTENDA.

21. Cum iis qui corde in fide firmi sunt et stabiles ad iustitiam, ore insuper confessio facienda sit ad salutem, Concilii Tridentini Decreto et Constitutionibus Pontificiis adhaerentes, Professionem fidei iuxta formulam a SS. PP. Pio IV. et Pio IX. praescriptam, quam nosmetipsi, cum Synodus haec solemniter aperiretur, publice edidimus, et quam huic Decreto, ut ad manum habeatur, subnecti curabimus, ab infrascriptis emittendam decernimus. Illam nempe emittant:—

(1°) Episcopi, aliique de clero, recens de beneficiis Ecclesiasticis provisi, in Dioecesana Synodo primo celebranda.

(2°) Dignitates aut Canonicatus obtinentes, post possessionem obtentam, tum in manibus Episcopi vel eius Vicarii Generalis seu Officialis, tum in Capitulo infra bimestre.

(3°) Beneficia cum animarum cura recipientes, post possessionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Episcopi vel Vicarii Generalis.[1]

(4°) Item novus Vicarius Generalis.

(5°) Docentes in Seminariis Theologiam, Philosophiam, Ius Canonicum, vel litteras humaniores; omnesque qui ad Confessiones audiendas deputantur; et Vicarii Parochorum, cum primum nominantur ab Episcopo.

Quod si ii qui de iure tenentur (nam omnes hic recensere nobis necessarium non est), Professionem fidei emittere negligant, sciant se subiacere poenis quae adversus contumaces a Concilio Tridentino, sess. xxiv., de Reform., cap. i. et xii. et a Pio IV. in Bulla "In Sacrosancta," an. 1564, latae sunt, et aliis Episcoporum arbitrio ferendis.

PROFESSIO FIDEI JUXTA FORMULAM PII IV. ET PII IX. SUPRA MEMORATAM HUIUS TENORIS EST.

Ego, *N.*, firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet:—

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum: et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit

[1] Vid. Append. pp. 27-29.

tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum: et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones, firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam, iuxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta Novae Legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria; scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio iterari non posse.

Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

Omnia et singula quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis; atque in

sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate, Domini nostri Iesu Christi; fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari.

Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse; atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita, et declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, et anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem *N.* spondeo, voveo, ac iuro.

Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

XI.

DE FIDEI PERICULIS EVITANDIS.

22. Cum fidem omnibus thesauris rebusque humanis longe antehabendam esse pateat, pronum est deducere eam omni cautela et vigilantia esse servandam, et evitanda esse pericula quibus exponatur. Scilicet, thesaurum in vasis fictilibus portamus, et vaferrimi hostes generis humani, nos perdere quaerentes, insidias nobis struere numquam desinunt.

23. Cum vero notum sit perditos quosdam homines et Ecclesiae Catholicae infensissimos hostes in quibusdam huius regni regionibus pecunia, largitionibus, et omni corruptelarum genere conari, ut pauperiores, et fame et aliis calamitatibus afflictos, Catholicos ab avita fide seducant, quo scilicet eos apostatas, hypocritas, et filios gehennae efficiant, Episcopos illorum locorum et alios omnes viros ecclesiasticos in Domino hortamur, ut saepissime populo exponant fidei praestantiam, et pericula et damna denuntient quibus apostatae exponuntur.

24. Curent etiam Episcopi ut Parochi diligentissime de iisdem rebus agant, utque omni prudentia et caritate se huiusmodi magistris erroris opponant. Hortentur quoque omnes ut saepe mente recolant, quam insigne sit beneficium quod gratuito Dei dono sunt consecuti,

dum adhuc tot alii inter quos ipsi vivunt, abdito sane hominibusque impervio consilio, Catholicae Ecclesiae vocem audire recusant. Hac enim ratione fiet, ut, dum debitas Largitori optimo pro fidei munere grates, maiori quo valent studio, reddant et habeant, auxilium a Deo ad fidem conservandam consecuturi sint, et firmius veritati revelatae adhaesuri.

25. Quo facilius finis imponi possit eorum conatibus qui fidem Catholicam eradicare conantur, hortamur Episcopos ut, in loca ubi praedicti conatus fiant, quam saepissime optimos mittant divini verbi praecones, qui populum fidelem instruant et errores irrepentes refellant. Videant quoque, ut piae Consociationes inter fideles instituantur quae finem istum habeant ut fidem pauperiorum servent, eosque a periculis custodiant.

26. Cumque iam plures Ordines Religiosi et Congregationes apud nos existant, qui in Missiones sacras populo tradendas magno zelo et fructu incumbunt, eorum opera et auxilio curent Episcopi ut Parochi utantur ad fidem et pietatem promovendam, necnon ad acatholicorum conatus ad nihilum redigendos. Exercitia spiritualia unius hebdomadae, piis confraternitatibus data, non sunt censenda locum supplere Missionum quas haec Synodus identidem pro universo populo habendas esse magnopere commendat.

27. Ne vero aliquid detrimenti ex suspicione turpis lucri sacris Missionibus oriatur, volumus ut nullae collectae, ne pro ecclesia quidem aedificanda aut ornanda, aut ad alia pietatis opera promovenda, fiant earum occasione, atque ut nihil a populo petatur nisi quod ad expensas Missionis necessarium sit, et modo ab Episcopo adprobando. Ratio tum pecuniae collectae tum expensarum post Missionem a parocho mittatur ad Episcopum, cuius erit, si quid supersit, de eius applicatione iudicare.

28. Optandum quoque est ut libelli pii et qui fidem Catholicam defendant, quamplurimum disseminentur. Hic vero Pastores eorumque Vicarios monendos esse arbitramur quantum emolumenti ex bibliothecis parochialibus rite ordinatis fidelis populus consequatur. Quapropter easdem in singulis paroeciis instituendas volumus, secundum systema vulgo dictum *The Automatic Parochial Circulating Library*, aliave simili ratione; et ubi iam institutae habentur, eas omni diligentia fovendas et promovendas hortamur.

29. Ubi vero bibliothecae publicae a publica auctoritate institutae sunt, valde optandum est ut sacerdotes nonnulli prudentes, iudicii in litteris optimi, adscribantur bibliothecae Curatoribus (*The Library Committee*), atque auctoritate qua gaudeant ad libros periculosos excludendos utantur.

30. Magnopere praeterea commendamus egregiam illam Societatem de veritate Catholica tuenda et propaganda (*The Càtholic Truth Society of Ireland*), et sacerdotes nostros in Domino hortamur ut eidem auxilium praestent efficax, sese societati adscribendo et libros eius divulgando.

31. Denique eligere debent Episcopi sacerdotes quosdam doctos et in his rebus peritos, qui libros omnes in collegiis, seminariis, et scholis primariis, sive iugiter sive identidem adhibitos, eo fine inspiciant ut, in quantum opus fuerit, aut reiiciantur, aut emendati seu expurgati reimprimantur.

32. Vetamus ne publice, absque Ordinarii licentia, a quovis, sive laico sive clerico, cum acatholicis disputationes de rebus ad religionem pertinentibus ineantur, quippe ex eiusmodi disceptationibus vix quidquam boni fructus exspectari potest, et fere semper accidit ut christiana pax et caritas violentur.

33. Cavendum ne ii qui heterodoxis famulantur precibus acatholicis a suis heris aut aliis recitari solitis assistant,

aut alia in re fidei detrimentum patiantur. Nisi famuli ius retineant libere religionem Catholicam exercendi, et omnia peragendi quae a Sancta Ecclesia praescribuntur, servitium deserant, ut quod sine periculo aut conscientiae laesione retinere non possunt.

34. Invigilent Episcopi ut nautae et milites Catholici nullum impedimentum in religionis officiis exsequendis patiantur, utque in rebus religiosis ea libertate plene fruantur quam auctoritas civilis illis concedere tenetur. Cum enim parati sint vitam et sanguinem pro republica tuenda profundere, id certe iis debetur, ut libere Deo iuxta avitae fidei dictamina sine conscientiae labe servire possint. De eorum etiam filiis, praesertim si orphani sint, pia Pastorum sollicitudo est sedulo excitanda et exercenda, ne in aliena religione educentur, et ne scholas frequentare cogantur in quibus libri religioni Catholicae infensi adhibentur. Praecipue vero Capellanorum militum officium est huic rei invigilare, et Ordinarium loci de huiusmodi abusibus, si oriantur, statim commonere, ut possit Ordinarius cum iis qui militibus praesunt de tanto malo tollendo agere.

35. Si qui Catholici ex hac in exteras regiones profecturi sunt, eos hortandos esse existimamus, ut in loca minime se conferant ubi facultatem exercendi religionem suam non habeant. Antequam vero proficiscantur curandum est ut Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipiant, utque etiam litteras testimoniales a Parochis subscriptas secum deferant, quibus eos baptizatos fuisse constet, et vel solutos esse vel, prout res se habeat, legitimo coniunctos matrimonio.

36. Expedit quoque, sive profecturi sint in regiones longinquas sive in civitates aut oppida magna in Hibernia, ut, antequam domo proficiscantur, litteras commendatitias a propriis Parochis obtineant, quas, statim atque ad novam habitationem pervenerint, quibusdam sacerdotibus zelo in

hac re insignibus subiiciant, ut ab eis in posterum dirigantur.

37. Caveant vero sacerdotes ne huiusmodi litteras alicui tradant, qui spem bene fundatam non habeat in civitate vel oppido in quod migraturus est inveniendi officium aut munus aliquod ex quo se sustentare possit.

38. Omnino prohibentur Catholici ne haereticorum templa invisant ut cultui eorum assistant. Ab audiendis haereticorum concionibus, etiam sub dio habitis, prorsus abstineant; et eorum libros de religione tractantes numquam legant.

XII.

DE SACRAMENTIS.

39. Cum in Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius, nihilque excellentius habeatur, quam Sacramenta, ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, cordi infixum habeat Parochus vel alius quivis sacerdos ad quem eorum administratio pertinet, se sancta tractare atque fidelium in mentibus quam maximam erga ea reverentiam devotionemque fovere summa ope studeat. Itaque ritus istos ac caeremonias, antiquitate venerabiles, sacra significatione plenas, quas in Sacramentorum administratione Sancta Ecclesia Christi adhibendas praescribit, omni fidelitate colere atque servare tenetur, prae mente habens S. Tridentinae Synodi verba sess. 7, can. 13: "Si quis dixerit receptos atque adprobatos Catholicae Ecclesiae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit."

40. Ritus omnes in Rituali Romano, Rubricis Missalis, et

Pontificali Romano, pro Sacramentorum administratione praescripti, accurate serventur; ideoque rubricae saepe, praesertim a neo-sacerdotibus, perlegantur. Speciatim autem sacerdos, dum Sacramenta administrat, attente, distincte, pie, atque clara voce, verba pronuntiet.

41. Volumus ut praxis administrandi Sacramenta in ecclesiis, ubi existat servetur, et ubi non existat, in quantum fieri potest, introducatur.

42. Studeat sacerdos ut vestes, linteamina, et omnia vasa sacra ita integra et nitida sint, et tota sacra supellex ita munda, ut fidelium reverentia in dies augeatur.

43. Ut reverentia Sacramentis debita exhibeatur, sacerdos, dum Sacramenta administrat, sit veste talari, superpelliceo, et stola indutus, nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

44. Cum magni momenti sit ut vis, efficacia, et dignitas Sacramentorum rite a fidelibus intelligatur, ea quae habet S. Carolus in Sacramentali Ambrosiano, seu instructionibus generalibus pro administratione omnium Sacramentorum, in mentem Parochorum revocamus:—"Sacramenti quod ministrabit (sacerdos) vim, rationem, usum, salutaresque fructus, prout temporis ac personae ratio et praesentium multitudo tulerit, diligenter explicabit, praesertim Catechismi Romani doctrinis inhaerendo. . . . Cum vero caeremoniae quae ad Sacramenta adhibentur mentes illorum qui eas intuentur, accurateque observant, ad sublimium rerum cogitationem erigant, fidemque et caritatem in iis ipsis excitent, earum etiam vim sanctioresque significationes, ut diligentissime poterit, idem populo exponet cum usus venerit."[1]

45. Quacumque diei noctisve hora vocatus fuerit, nullam

[1] Acta Eccles. Mediolanen., Patav. 1754. Fol. Tom. 1, pag. 420.

officio suo praestando, praesertim si necessitas urgeat, moram interponat sacerdos. In administrandis Sacramentis non difficilem et morosum, sed potius facilem et promptum, benignum et hilarem se exhibeat, et ab omni personarum acceptione prorsus abhorreat.

46. Dies et horae fidelibus convenientes pro Sacramentis in ecclesia ministrandis statuantur. Item tabella ab Ordinario recognita et typis expressa loco patenti ecclesiae affigatur, in qua horae Missam celebrandi, Confessiones excipiendi, et Baptisma conferendi accurate ac distincte publicentur. Admittendi tamen erunt fideles quando alio tempore Sacramenta petant, praecipue si necessitas urgeat, vel periculum sit ne non sint redituri.

47. In oblationibus quae ex veteri et recepto usu fieri solent occasione administrationis quorumdam Sacramentorum, caveant Parochi ne aliquid fiat quod aut simoniam aut avaritiam sapiat. Neque umquam Sacramenta denegentur eo sub praetextu quod oblationes istae non tribuantur; noverint in hac re delinquentes se ad arbitrium Ordinarii esse puniendos.

48. Meminerint sacerdotes se teneri in Sacramentis administrandis et in sepultura defunctorum linguam latinam ut quae in Rituali Romano inveniatur, adhibere. Si vero, claritatis causa, in lingua vernacula repetantur quae iam latine recitata sunt, sive interrogationes, sive responsiones sive aliud quodcumque,[1] versio ea adhibeatur quae traditur in Rituali ab Ordinario adprobato.

49. Volumus ut in usum cleri Hibernensis nova conficiatur Ritualis Romani editio, quae omnes benedictiones, formulas, et instructiones utiles contineat.

[1] Vid. Append. pp. 87, 88.

XIII.

DE BAPTISMATE.

50. Sacrum Baptisma, Christianae Religionis et aeternae vitae ianua, quod inter Novae Legis sacramenta a Christo instituta primum ratione necessitatis tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse ipsa Veritas testatur illis verbis; "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei" (Ioann. iii. 5). Itaque cum eius receptio sit omnino necessaria, clementissimus Dominus omnem hominem rationis compotem eius ministrum extraordinarium deputavit. Quam maxima igitur diligentia tenetur Parochus providere ne haec misericors Dei institutio malitia aut incuria hominis suo privetur effectu. Et quoniam plures sunt casus in quibus nonnisi urgente extrema necessitate deceret sacerdotes operam suam impendere, quales sunt partus praematuri, parturitiones difficiles, et abortus in omni periodo gestationis, in quibus nihilominus Baptisma conferri debet, gravissime onerantur conscientiae eorum qui curam gerunt animarum instruere et admonere medicos, obstetrices, aliosque quorum intersit, nullam praeterire occasionem animas a Christo redemptas Illi vindicandi per Baptisma.

51. In casu parvulorum expositorum docendi sunt fideles obligationem eos, statim ac inveniuntur, afferendi ad sacerdotem vel ad ecclesiam propinquiorem, ut sacro fonte abluantur; porro admonendi sunt omissionem huiusce officii paternae caritatis gravem esse culpam, cuius in die Domini strictam rationem sunt reddituri.

52. Ob praeteritorum temporum calamitates, usus in hanc regionem inductus est Baptisma in domibus privatis conferendi. Cum haec consuetudo sine magno incommodo aboleri nunc possit, praecipimus ut hoc Sacramentum in ecclesiis in posterum conferatur, nisi infantes ob magnam

distantiam ab ecclesiis, vel ob gravem aëris intemperiem, ad eas tuto ferri non possunt.

53. Si vero, urgente mortis periculo, parvulus vel adultus, sacris precibus ac caeremoniis praetermissis, fuerit baptizatus, postea, ubi convaluerit vel cessaverit periculum, et ad ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur. (Rom. Rit.)

54. Ex Decreto vero Sac. Cong. Rituum, Sept. 23, 1820, cum sacerdos in casu necessitatis infantem privatim baptizat, caeremoniae quae subsequuntur ablutionem, scilicet, chrismatio, atque traditio vestis candidae et candelae ardentis, statim post ablutionem adhibendae sunt.

55. Cum formula Baptismatis adultorum, sicuti est in Rituali Romano, experientia Parochorum atque Missionariorum inveniatur multis obnoxia difficultatibus et incommodis, praecipue in casu conversorum, sentiunt huius Synodi Episcopi Sanctitati Suae esse supplicandum ut aliqua forma brevior atque magis accommodata concedatur.[1]

56. Si qua ecclesia parochialis adhuc fonte baptismali careat, fons ibi sine mora erigatur; et idem servetur in aliis sacellis ubi, annuente Ordinario, Baptisma solet administrari. Fons autem sit loco decenti positus, clave munitus, cancellis circumseptus, e marmore vel alia materia solida constructus, et a sordibus bene custoditus.

57. Meminerint Parochi Rituale Romanum et Ecclesiae consuetudinem exigere ut fons baptismalis, infuso Oleo et Chrismate, bis in anno, Sabbato nempe Sancto et Sabbato Pentecostes, benedicatur; alio vero tempore, si necessitas exigat, secundum formam breviorem in Rituali Romano traditam aut privilegio apostolico concessam, benedicatur.

58. Curent Parochi ut accurate ea omnia serventur quae

[1] Vid. Append. pp. 11-14.

ad huius Sacramenti administrationem in Rituali Romano praescribuntur.

59. In administratione Sacramenti Baptismatis meminerint Parochi haereticos nullomodo admittendos esse in munus patrini vel matrinae: fideles admoneant omnino iis illicitum esse hoc munus suscipere pro filiis haereticorum ab haeretico ministro baptizandis, ut apparet ex Instructione Congregationis S. Officii, 10 Maii, 1770.

60. Habita ratione naturae ritus purificationis mulieris post partum atque verborum in eo occurrentium, prorsus absona ac abolenda videtur consuetudo illum extra ecclesiam vel locum ubi sacrum fit perficiendi, nisi quatenus periculum mortis aut diuturna infirmitas aliter suadeat.

61. Ad benedictionem post partum, quae a proprio Parocho danda est, vel ab alio sacerdote, si expetitus fuerit, certiore facto Superiore Ecclesiae (S. R. C. 21 Nov., 1893),[1] ius tantummodo habent mulieres quae ex legitimo matrimonio pepererunt (S. Cong. Concil., 18 Junii, 1859).

62. Si quis acatholicus suos infantes sacerdoti Catholico baptizandos offerat, et spes adsit eos Catholice esse educandos, omnino baptizentur, adhibito tamen patrino vel matrina Catholica. Quod si infantes huiusmodi in proximo aut probabili mortis sint periculo, sacerdotes, si occasio se obtulerit, eos baptizare absque ulla dubitatione debent.

63. Ut Sacramenti Baptismi debita habeatur veneratio, quoad iterationem eius in iis qui ex haeresi ad religionem Catholicam convertuntur, servetur decretum Sancti Officii, diei 20 Novembris, 1878.[2]

64. Baptizari sub conditione volumus infantes expositos a parentibus, atque etiam eos qui a nutricibus aut obstetricibus in domibus privatis abluti sunt, nisi similiter fide dignis testimoniis constet baptisma fuisse rite collatum.

[1] Vid. Append. pag. 29. [2] Vid. Append. pp. 29-34.

65. Occasione Baptismatis oblationes quaedam ex vetusta et recepta consuetudine fieri solent. Hanc consuetudinem, secundum praxim cuiusque dioeceseos ab Episcopo probatam, retinendam esse arbitramur. Verum, ne ex alicuius avaritia abusus hac in re introducantur, et ne Sacramentum ad salutem omnino necessarium alicui non conferatur, nullus Parochus aut eius Vicarius pactiones de oblationibus praedictis ante Baptismatis collationem ineat. Vetamus quoque, et sub poena suspensionis latae sententiae, ne infantem baptizare recusent sub praetextu defectus aut subtractionis oblationum praedictarum.

66. Sedulam operam dent sacerdotes ut impediant, quantum poterunt, nefandum illud scelus quo, adhibitis chirurgicis instrumentis, infans in utero interficitur.

67. Omnis fetus, quocunque tempore gestationis editus, baptizetur, vel absolute, si constet de vita, vel sub conditione nisi evidenter pateat eum vita carere.

XIV.

DE CONFIRMATIONE.

68. Parochis singulari industria curandum est ut pueri et puellae omnes ad Confirmationis Sacramentum recipiendum accedant, quo gratiam ad fidem strenue profitendam accipiant.

69. Iuxta praesentem Ecclesiae praxim non confertur Sacramentum Confirmationis nisi post septennium, aut saltem post adeptum usum rationis. Potest vero ante adeptum usum rationis liberis conferri: 1° si in periculo mortis constituantur, ne priventur incremento gratiae et gloriae; 2° si probabiliter non sint habituri occasionem ho Sacramentum suscipiendi nisi post multos annos.

70. Nemo ad hoc Sacramentum admittatur nisi in doctrina

Christiana sufficienter institutus sit; et curent Parochi ut per se vel per Vicarios, candidati per aliquod sufficiens tempus instruantur, et ut omnes doli capaces antea ad tribunal Confessionis accedant.

71. Plures Antistites, occasione Confirmationis, a novis militibus Christi promissionem qua spondent se ab omnimodo potu inebrianti usque ad vigesimum primum annum abstenturos, accipere solent. Quo uberior percipiatur fructus ex praxi illa laudabili, enixe hortamur Pastores ut saluberrimum hoc propositum saepe in memoriam revocent confirmatis, iisque, temporibus statutis, vel saltem semel in anno, suadeant ut temperantiam per totam vitam fideliter conservent.

72. Diligenter curet Parochus fidelibus semel ac saepius cognationem spiritualem explicare, quam in Baptismate et Confirmatione contrahunt patrini, ita ut indolem et effectum huius vinculi sacri apprime intelligant omnes.

XV.

DE EUCHARISTIAE SACRAMENTO[1] ET MISSAE SACRIFICIO.

73. Ad normam Decretalis Innocentii III., in Conc. Lat. IV. editi, statuimus ut magna cura, et sub fideli custodia, clavibus adhibitis, SS. Eucharistia conservetur.

74. Ne autem diutius asservatae corrumpantur particulae, a Parochis et aliis sacerdotibus ad quos spectat renovandae sunt octavo quoque die; sacra ciboria eadem occasione purificentur. Novas consecratas hostias non licet cum veteribus miscere.

75. Nequaquam in omnibus indiscriminatim sacris aedibus permittitur asservare SS. Eucharistiam. Ecclesiae cathedrales, parochiales, et si quae sint in quibus ex consuetudine immemoriali assidue hactenus asservata fuerit,

[1] Vid. Append. pp. 34-51.

hoc iure fruantur. In reliquis ecclesiis, nisi adsit privilegium Apostolicum, servari non potest.[1]

76. In ecclesiis in quibus SS. Eucharistia asservatur, diu ac noctu una saltem lampas semper accensa colluceat, eaque, quantum fieri possit, oleo olivarum nutrita. Ubi vero haberi nequeat, remittitur prudentiae Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus (S. R. C. 14 Iulii, 1864).

77. Quoties in domo sacerdotis SS. Sacramentum asservari permittitur haec serventur:

(1°) In novis sacerdotum domibus aedificandis semper exstruatur oratorium, ut iam pluribus ab annis fieri solet.

(2°) In habitationibus sacerdotum sine oratorio exstructis, etiamsi in conclavibus conductis apud laicos degant, secernatur oratorio, si fieri potest, locus aliquis decens et congruus.

(3°) SS. Sacramentum, quando in domo sacerdotali asservatur, sit tabernaculo inclusum; et lampas coram ipso semper colluceat, nisi forte in casu, qui rarus erit, in quo minus tuta huius ritus observantia, idque iudicio Episcopi, censeatur.

78. Indulta Apostolica in favorem oratorii privati, sive laicorum, sive monialium, sive fratrum, praesertim quod attinet ad SS. Eucharistiam asservandam,[2] tempore opportuno, occasione praesertim Visitationis parochialis, diligenter ab Ordinariis inspiciantur.

79. In Institutis publicis mixtae religionis omni conatu enitendum est ut capella cultui Catholico deputata[3] nullatenus ad inserviendum cultui acatholicorum usurpetur.

80. Sedulam operam dent Parochi ut fideles Christum sub speciebus Eucharisticis in templis delitescentem frequenter invisant, humiliterque adorent ac venerentur; quocirca ecclesiarum suarum fores patentes, saltem per aliquot horas, sin-

[1] Vid. Append. pag. 51. [2] Vid. Append. pp. 13, 14, 51.
[3] Vid. Append. pp. 51-54.

gulis diebus relinquant, ubicumque id commode et sine irreverentiae periculo fieri potest.

81. Ut devotio fidelium erga SS. Sacramentum in dies augeatur, magnopere expedit ut Quadraginta Horarum Oratio per omnes Hiberniae dioeceses instituatur.

82. Tempus Paschale pro tota Hibernia, ex indulto Pauli V., a die Cinerum usque ad diem Ascensionis Domini extendebatur. Cum vero, ob multitudinem fidelium, intra illud tempus omnes praeceptum adimplere non possent, benigne indulsit Pius Papa IX. ut idem tempus usque ad octavam Festi SS. Apostolorum Petri et Pauli extenderetur.[1]

83. Parochi tempore aestivo cuiuslibet anni pueros ad primam Communionem accessuros aliquamdiu per se vel per suos Vicarios erudiant de natura, virtute, et effectibus SS. Eucharistiae.[2] Utile insuper censemus pia aliqua exercitia, quoad res patitur, per aliquot dies praemitti.

84. Missa in qua prima vice pueri Sacra Synaxi reficiuntur, maxima qua fieri potest solemnitate celebretur.[3]

85. Benedictio Solemnis cum SS. Sacramento[4] dari potest singulis Dominicis et diebus festis, nisi aliter ab Episcopo statuatur.

86. Sacerdotes diligenter se disponant Sanctissimi Sacrificii celebrationi, et debitas postea gratias semper agant.

87. Ne Missam umquam celebret sacerdos sine veste talari.

88. Sacra supellex in hoc incruento Sacrificio adhibenda, si pretiosa ut par esset haberi nequeat, munda saltem et nitida sit, et convenientis materiae, et praescripti coloris; non sordida, non obsoleta, neque indecenter compacta.

89. Episcopi suis Vicariis Foraneis mandent ut non solum tempore Visitationis sed et aliis statis temporibus Ordinario denuntient sacerdotes quos hac in re graviter negligentes deprehenderint.

[1] Vid. Append. pag. 56. [2] Vid. Append. pp. 224 (III), 401-403.
[3] Vid. Append. pag. 56. [4] Vid. Append. pp. 57-59.

90. Magnopere optamus ut piae illae Societates quae ornatum altarium, et praesertim altaris SS. Sacramenti, sollerter curent, in singulis paroeciis sub moderamine Parochi erigantur.

91. Calices debent esse ex auro vel argento, aut saltem habere cuppam argenteam intus deauratam. Ciboria seu pyxides, necnon lunulae, intus quoque deaurata sint.

92. In tabernaculo,[1] quod intus, nisi sit deauratum, panno albo serico contectum esse debet, non licet asservare vasa sacra purificata, neque sacra olea, reliquias, purificatoria, claves, aliave id genus, sed tantum ciboria seu pyxides quibus SS. Sacramentum continetur.

93. Ciborium aliudve vasculum quod SS. Eucharistiam continet, operculo suo bene clausum, super corporale benedictum collocari in tabernaculo debet; item lunula Sanctam Hostiam continens, dum in tabernaculo manet, clausa esse debet. Sit ciborium velo albo et serico circumdatum, ne umquam in tabernaculo incoopertum inspiciatur. Clavis insuper tabernaculi sub custodia ipsius sacerdotis maneat.

94. Nulli lapides sacri in posterum consecrentur nisi tantae sint magnitudinis, ut calicem, sacram Hostiam, et pyxidem commode continere valeant.

95. Cum Missa celebratur, in altari[2] colluceant duae saltem candelae cereae.[3]

96. Maximam diligentiam adhibeant sacerdotes ut panis consecrandus sit recens, purus, et albus. Hostiae pro communione populi sint rotundae, et non nimis parvae aut tenues.

97. Curent Episcopi ut, ratione aliqua adhibita, panis vere triticeus et vinum de vite pro Missae celebratione obtineantur, curentque ne sacerdotes ulla alia adhibeant.[4] Ob frequentem tum farinae triticeae tum vini adulterationem quae hodie obtinet, hoc Decretum cum omni rigore urgendum est.

1 Vid. Append. pag. 59. 2 Vid. Append. pp. 60-62.
3 Vid. Append. pp. 62, 400; et vid. etiam ibid. pp. 63, 64.
4 Vid. Append. pp. 65-68.

98. Diebus Dominicis et festivis fiant Missae publicae horis fixis et praestitutis, quas sine Ordinarii licentia haudquaquam mutare licet, nisi forte una aut altera vice, si id publica necessitas postulet.

99. In oppidis, et in ecclesiis ruralibus ubi exstat copia sacerdotum, ad pietatem fovendam, Missa hora fixa et fidelibus convenienti, quoad res sinit, quotidie celebretur.

100. In omnibus ecclesiis ubi Missa, singulis Dominicis, hora communicantibus congrua celebrari nequit, curent Episcopi ut id fiat saltem semel in mense.

101. Missae post meridiem non celebrentur, nec in aedibus privatis, nisi necessitas urgeat, et specialis atque expressa habeatur ab Episcopo licentia, qui etiam aedes ubi sacrum fiat designare debebit.

102. In sacro peragendo nullus sacerdos saecularis ritus alios aliasve caeremonias vel preces adhibeat praeter eas quae in Missali Romano praescribuntur.

103. Tribus ultimis Hebdomadae Maioris diebus, rubricae Missalis Romani et Ritualis Benedicti XIII. quod Rituale Parvum nuncupatur, accurate serventur, quantum servari possunt. Ubi vero Memoriale Rituum servari nequeat, possunt Parochi, ex declaratione S. Sedis, in commodum fidelium singulis annis ab Episcopo impetrare privilegium Missam privatam in ecclesia parochiali feria quinta celebrandi.[1]

104. Quod spectat ad Missarum eleemosynas,[2] intentio donatoris vel testatoris, utcumque manifestata, semper servanda est.

105. Si intentio non sit expressa, nec possit ex adiunctis inferri, honorarium pro Missis privatis sit in posterum honorarium ordinarium in Synodo Provinciali definiendum.

106. Pro fundatis Missis privatis duplex honorarium ordinarium assignari debet.

[1] Vid. Append. pag. 68. [2] Vid. Append. pp. 69-83.

107. Haec Decreta de honorariis Missarum in singulis proximis Synodis Dioecesanis publicentur, eademque sacerdotes populo exponant.

108. Onera perpetua Missarum a nullo ecclesiae Rectore aliove sacerdote saeculari suscipiantur, nisi specialis ab eius Ordinario ad id concessa fuerit licentia. Haec licentia in scriptis esse debet, ab Episcopo signata, cuius erit rem ita disponere ut numerus Missarum reditibus futuris semper respondeat. Tabella Missarum in perpetuum celebrandarum, si quae sint, custodiatur in sacristia, tempore Visitationis Episcopo exhibenda.

109. Missa bis in Dominica vel die festo ab eodem sacerdote non celebretur nisi Episcopus id necessarium existimaverit, atque, vi facultatis a S. Sede sibi concessae, fieri permiserit.

110. Quando vero, ob peculiares casus et necessitatis causa ab ipso examinata, Episcopus alicui sacerdoti facultatem secundam Missam eadem die celebrandi concedit, eum admoneat ne eleemosynam aut stipendium a quovis vel quocumque praetextu pro ea percipiat, iuxta Decreta alias edita a S. Congregatione (S. C. C., 25 Sept., 1858, citans Bened. XIV. Constitutionem *Declarasti*, an. 1746; et Litteras Circulares de Prop. Fide, 15 Oct., 1863).

111. Habita tamen ratione circumstantiarum quarumdam Missionum, Summus Pontifex earum Ordinariis benigne indulsit "ut iusta et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi huiusmodi stipendium possint ac valeant percipere." Haec permissio ad Hiberniae Praesules extenditur.

112. Ubi pecunia ad fores ecclesiae colligitur, sive ad clerum sustentandum, sive ob alios fines religiosos, severe prohibemus ne quis fidelium, Missam cupiens audire aliisve sacris functionibus adesse, ab ecclesia ideo repellatur quod nequeat aut nolit pecuniam solvere.

113. Cum fideles ad Sacram Mensam accedunt, nulla sit

inter divites et pauperes distinctio locorum, quoad res feret, attenta peculiari quarumdam ecclesiarum iam existentium structura. Episcopo insuper curandum est, antequam novam ecclesiam aedificandam probaverit, rem ita ordinari ut cuncti fideles ad eosdem cancellos Sanctam Communionem accipere valeant.

114. Non colligatur pecunia ob fines saeculares ad fores ecclesiae, neque intra ecclesiae aream, neque ad areae portas.

115. Quod ad pecuniam extra areae portas colligendam attinet, noverint sacerdotes se officio teneri eos improbare, atque pro viribus prohibere, qui pecuniam vellent tali loco colligere quo accessus ad ecclesiam quomodocumque impediatur, aut molestus alicui nolenti contribuere fiat.

116. In ecclesiis nullus cantus nisi gravis et ecclesiasticus adhibeatur. Hortamur ut in singulis decanatibus ab Episcopo constituatur Caeremoniarum Magister cuius sit curare ut Exsequiae Defunctorum aliaeque functiones sacrae rite celebrentur.

117. Intra Missam vel solemnem vel cantatam nihil nisi latine cantetur. Dum Missa privata legitur, aliave etiam occasione, nihil in ecclesia canendum est nisi quod in ecclesiasticis libris probatis inveniatur, aut ab Ordinario fuerit permissum.[1]

118. Quoniam vero Gregoriani Cantus forma authentica invenitur in editione Librorum Choralium a Sacra Rituum Congregatione adornata, et a Pio IX. sacrae memoriae et a SS. Domino Nostro Leone XIII. rata habita et confirmata, utpote "quae unice eam cantus rationem contineat qua Romana utitur Ecclesia" (Decr. S. R. C., 26 April., 1883), praecipimus ut in posterum, in Missis et Vesperis cantandis, et praesertim in Exsequiis Defunctorum, iste huiusce cantus forma exclusive adhibeatur.[2]

[1] Vid. Append. pp. 83-108. [2] Vid. tamen Append. pp. 90-106.

XVI.

DE POENITENTIA.

119. Statuimus ut in omnibus ecclesiis erigantur, ubi forsan desint, sedes Confessionales, eaeque cratibus instructae.

120. Parochos hortamur ut, quantum fieri possit, Confessiones in ecclesiis audiendas curent; si autem, extra ecclesiam eas audiri contigerit, nonnisi in loco decenti et ianuis patentibus id fiat; mulierum vero Confessiones, praeter casum necessitatis, in ecclesia et ad sedem Confessionalem semper excipiantur.[1]

121. Synodi Thurlesiensis menti inhaerentes, "vetamus," ut verbis utamur S. Congregationis de Prop. Fide, "ne in vicis et oppidis ubi adsunt ecclesiae, et in locis omnibus quae prope distant ab ecclesiis, Stationes pro Confessionibus audiendis tam virorum quam mulierum in domibus privatis fiant, sed Stationes in ipsa ecclesia teneantur": ubi vero necessariae sint Stationes, curent Episcopi ut omnia rite et debita cum reverentia peragantur.

122. Caveat etiam sacerdos ne statim post Missam Stationis peractam fideles ad saecularia transeant; ipse pro eis aliquas preces, ut gratiarum actio persolvatur, alta voce recitet.

123. Sacerdotes ad Confessiones excipiendas ab Ordinario in qualibet dioecesi adprobati et iurisdictionem consecuti, possunt valide et licite quoslibet poenitentes ad se in locis iurisdictionis suae[2] confluentes absolvere, sive sint ex sua, sive ex aliena dioecesi aut paroecia, dummodo in fraudem legis seu reservationis non adveniant.

124. Idem dicendum est de Confessionibus fidelium quae ad praeceptum semel in anno confitendi adimplendum fiunt.

125. Volumus ut accurate serventur omnia quae a Romanis

[1] Vid. Append. pag. 108. [2] Vid. Append. pp. 109, 110, 398, 399.

Pontificibus, et praesertim a Benedicto XIV. in Bullis quae incipiunt "Sacramentum Poenitentiae" et "Apostolici Muneris," de sollicitatione sunt praescripta.

126. Curent Episcopi ut singulis hebdomadis Parochi eorumque Vicarii statutis quibusdam diebus et horis populo opportunis, praesertim Sabbatis et vigiliis festorum, in ecclesia publica ad Confessiones audiendas parati sint.

127. Hortamur Parochos ut, praeter consuetas Stationes, alias in ecclesia parochiali, aliquoties, aut saltem semel, in anno habeant, ad quas presbyteros viciniores seu extraneos convocare expedit.

128. Volumus ut ubique in Hibernia in paroeciis diversarum dioecesium affinibus, servetur praxis qua sacerdotes in utravis dioecesi adprobati, facultates, invitante Parocho alterius dioeceseos finitimo, ad poenitentes in eius paroecia absolvendos ordinarias habeant, nisi eiusdem Episcopus aliter statuat.

129. Cum casus reservati, si numerosiores sint, plus molestiae ipsi Confessario quam delinquenti ordinarie afferant, haec Synodus vult eos ad crimina atrociora arctari quae Praesules necessitate disciplinae sibi reservanda esse iudicant.

130. Perutile quoque esset ad sedanda dubia atque anxietates quorumdam Confessariorum, ut non solum natura peccati reservati distincte exhibeatur, sed etiam circumstantiae ac conditiones sub quibus, ex intentione Superioris, peccatum illud reservatur aut non reservatur,—*v.g.*, an in prima Confessione; an in Confessione generali; an occasione itineris aut navigationis longae; an cum adest in peccante ignorantia reservationis, etc.

131. Ad frequentem Confessionem sedulo adhortentur Parochi suae curae commissos fideles, et omnimode promoveant utriusque sexus Confraternitates quae praxim

mensilis Confessionis et Communionis tamquam regulam habent.

132. Parochi omni sollicitudine praeparent parvulos ad primam Confessionem, atque aliquod tempus anni, pro populi sui circumstantiis, seligant, in quo huic officio convenienter incumbere valeant. Hae instructiones praeparatoriae multo maiore proventu atque meliore fructu in ecclesiis impertiuntur.

133. Unde hortamur ut diebus et horis statutis, et ad regulas scholarum accommodatis, saepe habeantur in ecclesiis aut in sacellis Stationes, ad quas convocentur pueri et puellae separatim ab adultis ad Confessiones faciendas.

134. Singulis mensibus determinetur dies ad Confessiones parvulorum audiendas, et quatenus fieri possit, hae Confessiones ante noctem excipiantur.

135. Denique audiantur Summi Pontificis, Leonis XII., verba quibus totum officium Confessariorum quasi in compendio proponitur :—

"Curandum sedulo vobis (Episcopis) est ut ii quos ad Confessiones audiendas deligetis, ea meminerint ac praestent quae de ministro Poenitentiae praecipit Praedecessor noster, Innocentius III., ut, scilicet, sit discretus et cautus, ut modo periti medici similiter infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat quale illi debeat consilium praebere et eiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum, habeatque prae oculis documenta illa Ritualis Romani ; videat diligenter sacerdos 'quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possint, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo

peccata derelinquere et vitam in melius emendare, nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant.' Quae quidem nemo non viderit quam longe ab eorum ratione distant, qui ut gravius aliquod audiunt peccatum aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere;—eis nempe ipsi mederi recusant, quibus maxime curandis ab Eo sunt constituti qui ait, 'non est opus valentibus medicus, sed male habentibus';—aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae diligentia, aut doloris aut propositi satis videtur significatio ut absolvere se posse existiment, ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est; ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a Confessione, et in desperationem salutis adducat . . . . . . Imparati illi tantummodo sunt iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a Confessione:—'Misericordiae enim Domini non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus':—vel qui, rudes conditione aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi; sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta caritatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter iudicentur." (Encyclica S. P. Leonis XII., qua Iubilaeum an. 1825, promulgatum est.)

XVII.

DE CENSURIS.

136. Apostolis eorumque successoribus potestatem delinquentes censuris aliisque poenis spiritualibus coercendi, a Christo Domino concessam esse omnes norunt. Quam quidem potestatem Romanus Pontifex per Ecclesiam universalem exercet; Episcopi autem in sua quisque dioecesi; Vicarius Episcopi Generalis, cuius cum Episcopo unum idemque est tribunal; necnon Praelati Regulares in suos subditos.

137. Quamvis haec potestas, ut verbis Concilii Tridentini utamur, nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercenda est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus exerceatur, eam contemni magis quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. (Vid. Conc. Trid. sess. xxv., cap. 3 de Ref.)

138. Gravibus igitur verbis Ecclesiae Praesules monet Benedictus XIV. non expedire ut hoc suae potestatis gladio utantur nisi ad coercenda crimina graviora. (De Syn. Dioec., lib. x., cap. 1, n. 3.) Neque abs re erit hic commemorare verba quibus idem Pontifex hoc suum monitum uberius declarare prosequitur: "Scimus profecto necesse non esse ut ante Superioris legem qua aliquid sub censura prohibetur, illud iam esset lethaliter malum; sed quandoque contingere tunc primum graviter malum fieri cum a Superiori prohibetur sub poena censurae, quae certe eius intentionem ostendit obligandi sub mortali. At non decere dicimus ab Episcopo aliquid sub gravi praecipi vel prohiberi, statuta in transgressores censura, nisi materia praecepti, sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum, . . . talis et tanta sit ut hanc poenam exposcat." (Id. ibid.)

139. Praeterea, ut verba eiusdem Pontificis iterum exscribamus: "Si omnium consensu, grave et enorme crimen re-

quiritur ad irrogandam censuram, etiam quam vocant 'comminatoriam' et 'ferendae sententiae,' multo sane gravius et exsecrabilius esse oportet delictum ob quod infligatur censura 'latae sententiae,' qua nimirum homo per solam legis transgressionem, nulla praevia monitione, eiusdem legis ministerio statim perstringitur." (Id. ibid., n. 5.)

140. Sapienter insuper in Ecclesiae Canonibus provisum est ordinem quemdam iudiciarium in his poenis adversus legis transgressores infligendis servandum esse, quo plenius exquiratur causae veritas atque libera sese defendendi facultas reo tribuatur.

141. In causis autem criminalibus et disciplinaribus clericorum cognoscendis et definiendis, quatenus ob locorum circumstantias institui non possint Curiae ad formam Instructionis S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 11 Junii, 1880, Episcopus, sacerdotibus idoneis adhibitis, Curiam constituat, ad quam semper pertinebunt, praeter Iudicem, Officiales qui sequuntur: (*a*) Notarius qui totum processum una cum dictis et factis consignet scriptis authenticis; (*b*) Procurator Fiscalis pro iustitiae et legis tutela; atque (*c*), ne inquisitus condemnetur indefensus, Defensor a tribunali nominatus, si reus ipse aut non possit aut nolit defensorem particularem sibi constituere. Aliquando tamen extraordinarie fas est absque huiusmodi iudicii forma, atque inspecta sola facti veritate, reos ferire.

142. Huc spectat facultas illa suspensionem, ut aiunt, *ex informata conscientia*, in quibusdam rerum adiunctis infligendi, quae ex quodam Conc. Tridentini Decreto derivata, a Sacra Congregatione eiusdem Concilii interprete iterum ac saepius exposita est. (Conc. Trid., sess. xiv. de Ref., cap. 1.: Decret. S.C. Concil. 24 Nov., 1657: 16 Dec., 1730: 20 Aug., 1735: Ben. XIV. De Syn. lib. xii., c. 8, n. 3). Neque tamen ita concessa est haec facultas ut Episcopo ea uti liceat nisi

delictum sit occultum, atque insuper, secundum Instructionem S. Cong. de Prop. Fide die 20 Octobris, an. 1884 datam, nisi ipsi, causa bene perpensa, constet crimen eis momentis confirmari quae ad Sanctam Sedem, si opus fuerit, delata, reum dignum fuisse demonstrent qui poena tam gravi plecteretur.[1]

143. Episcopi cuiusque cura erit ut conficiatur, atque singulis sacerdotibus ad Confessiones in sua dioecesi excipiendis approbatis tradatur, tabula in qua omnia quotquot in dioecesi reservantur peccata, sive absque censura sive cum censura iis annexa, accurate ac nitide recenseantur.[2] Quae quidem tabula una cum facultate Confessiones excipiendi singulis etiam sacerdotibus in posterum approbandis tradatur.

XVIII.

DE EXTREMA UNCTIONE [3] ET CURA INFIRMORUM.

144. Extremae Unctionis Sacramentum, in solatium aegrotorum a Domino institutum, non animae solum sed etiam corpori interdum salutare, omni diligentia cuilibet Catholico gravi morbo periclitanti administrandum est. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuvari poterunt cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.

145. Oleum Infirmorum, quemadmodum Oleum Catechumenorum et Sanctum Chrisma, in vasculis argenteis contenta, in loco proprio, honesto, et mundo, sub clavi asservari debet, et numquam e loco in locum a laico deferri.

146. Iubemus ut liber in singulis paroeciis conficiatur, ex quo sacerdotes, et praesertim Parochus, accurate cognoscere possint qui in paroecia aegrotent, et hoc Sacramento vel aliis indigeant.

147. Aegrotantes, quorum nomina in hoc libro cui facilis pateat accessus omnibus paroeciae sacerdotibus inscri-

[1] Vid. Append. pag. 110. [2] Vid. Append. pp. 113-124.
[3] Vid. Append. pag. 125.

buntur, singulis hebdomadis, in quantum fieri potest, sunt visitandi, donec aut e vita discesserint aut convaluerint Visitationes omnes in libro notandae sunt.

148. In hac visitatione remedia spiritualia pro statu aegrotantis Parochus adhibere studeat, praesertim vero infirmum hortetur ut Confessionem, si opus fuerit, peragat, quamvis mortis periculum non immineat.[1] Insuper in ipso mortis articulo infirmum Parochus aut Vicarius visitare curabit.

149. Pueri, statim ac iudicantur doli et culpae capaces, si in gravem incidant morbum, debebunt Infirmorum Oleo liniri. Quandocumque censentur capaces Sacramenti Poenitentiae, sunt pariter idonei reputandi ad Extremam Unctionem, quae est illius complementum, quamvis nondum tanta polleant iudicii maturitate ut videantur apti ad rite participandam Eucharistiam, de cuius ineffabili excellentia non ita facile edoceri queunt.[2] (Bened. XIV. Synod. Dioeces. lib. 8, cap. 6, n. 2.)

150. Amentibus etiam et delirantibus qui aliquando usu rationis pollebant conferri debet Extrema Unctio, ita tamen ut irreverentia praecaveatur. Si autem dubium sit num usum rationis umquam habuerint, detur hoc Sacramentum sub conditione "si capax es."

151. Orationes et Unctiones iuxta normam Ritualis Romani in Sacramento hoc conferendo perficiantur.

152. Vetamus ne, cum hoc Sacramentum administratur, oblatio ulla a fidelibus aut directe aut indirecte petatur.

XIX.

DE ORDINE.[3]

153. "Si quis aliorum Sacramentorum," inquit Catechismus Concilii Tridentini, "naturam et rationem dili-

[1] Vid. Append. pp. 42, 47-51. [2] Vid. Append. pp. 42-47, 49-51.
[3] Vid. Append. pp. 125, 126.

genter consideraverit, facile perspiciet ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pendere ut sine illo partim administrari nullomodo queant, partim solemni caeremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur."

154. Episcopi Ordinationes habeant, quantum fieri potest, temporibus iure statutis,[1] atque in ecclesiis suis vel cathedralibus vel aliis principalioribus. Ordinationes fiant maxima cum solemnitate, adhibitis omnibus ritibus qui in Pontificali Romano praescribuntur.

155. Ordinandi per Examinatores districte examinentur.

156. Serventur, quantum fieri potest, interstitia, ut ordinatus et se dignum probet altioris gradus, et Ordinem iam susceptum exercendi occasionem saepe habeat, sicque rubricas et caeremonias mature addiscat.

XX.

DE MATRIMONIO.

157. Parochi moneantur ea omnia servare quae in Rituali Romano de Matrimonio contrahendo praescripta sunt. Curent imprimis ut uterque contrahentium sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

158. Admoneant coniuges ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiam atque ad Matrimonii Sacramentum accipiendum pie accedant: quomodo honeste et pie, ut Christiani, conversari debeant, diligenter eos instruant.

159. De vagis statuimus ut ea quae in Concilio Tridentino praescripta sunt serventur. Magnam curam adhibeant Parochi ut certiores de eorum statu libero se efficiant; nam, sicut ait Concilium, "ut improbi sunt ingenii, prima relicta

[1] Vid. Append. pp. 126, 127.

uxore, aliam, et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt."

160. In hac regione solent Parochi Litteras Testimoniales de statu libero viris matrimonium contracturis hac vel simili forma tradere: "Lator N.N. liber est ad matrimonium contrahendum cum quavis muliere similiter libera." Declaramus huiusmodi Litteras non esse habendas ut conferentes delegationem vi cuius cuilibet indiscriminatim sacerdoti liceat latoris matrimonio assistere.

161. Ad has vero Litteras Testimoniales "liberi status" quod attinet, opportunum declarare ducimus nihil pro huiusmodi scriptis in posterum exigi posse praeter id quod ab unoquoque Episcopo in sua Synodo Dioecesana solvendum statuatur.

162. Curent Parochi ut petentibus per litteras testimonium liberi status sine mora respondeant, ne in re gravis momenti officio suo desint. Si qui sint sacerdotes dignitatis status clericalis adeo immemores ut huiusmodi litteris etiam secunda vice acceptis tempestive respondere praetermittant, meminisse debent negligentiam quae vel in negotiis saecularibus sane indecora esset, in dedecus ministerii sacri et verti et imputari.

163. Matrimonia fidelium, extra casum necessitatis vel gravem aliam causam per Episcopum definiendam, fiant semper in ecclesia, quam convenit esse propriam sponsae vel sponsi.

164. Enixe insuper hortamur ut matrimonia ante meridiem celebrentur, atque ut sponsis Benedictio Nuptialis intra Missam secundum Rubricas conferatur.

165. In iudiciis ecclesiasticis circa causas matrimoniales servetur Instructio S. C. de Propaganda Fide circa causas matrimoniales, anno 1883 edita. Specialiter monendum volumus defensorem vinculi esse adeo necessarium ut, eo deficiente, acta processus nullitate inficiantur.

166. Cum ad impedimenta Matrimonii detegenda nullum sit remedium efficacius quam quod praecipit Concilium Tridentinum de Bannis proclamandis, idcirco volumus ut eiusdem legis Tridentinae observantia ubi viget servetur, et ubi non viget, quantum prudenter fieri possit, introducatur.

167. Haec Synodus Plenaria in memoriam revocat Parochis, conscientiam eorum esse graviter oneratam, ut ante celebranda coniugia certi fiant de absentia cuiuscumque impedimenti.[1] Proinde in subsidium adhibeant testes qui statum liberum nupturientium bene cognoscant, ita ut norma servetur quae Decreto et Instructione S. O. "*Cum alias,*" diei 21 Augusti 1670, et alia S. Officii Instructione, anni 1868, statuitur.

168. Sacerdotibus omnibus huius regionis in memoriam revocamus, antiqua Ecclesiae lege, quam SS. Pontifices numquam desierunt inculcare, vetari matrimonia Catholicorum cum acatholicis, cum sanctitas Sacramenti postulet ut uterque contrahens tum fide tum aliis animi dispositionibus gratiae Sacramenti suscipiendae idoneus sit, atque plura insuper graviaque incommoda et mala ex huiusmodi connubiis saepe sequantur, nempe, discordia domestica, atque Catholicae partis necnon et prolis perversio.[2] "Quod si rerum adiuncta aliquando suadeant ex auctoritate Apostolica ea esse permittenda, imprimis curandum erit ut conscientiae securitati et libero religionis exercitio a Catholica parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide Catholica educationi, solemni coram Deo promissione iis de rebus emissa: secus nullatenus licebit sacerdoti iis connubiis adstare. Meminerint insuper sacerdotes pluribus SS. Pontificum Decretis vetari ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis sacra adhibeatur, dum foedera huiusmodi

[1] Vid. Append. pp. 127-134 [2] Vid. Append. pp. 134-140.

ineantur, quae neque intra ecclesiam ineunda sunt." (Excerpta ex Con. Prov. Baltimorensi 4°.)

169. Sermone gravi et decoro studeat Parochus Sacramentum Matrimonii, una cum impedimentis tum dirimentibus tum prohibentibus, saepius populo in ecclesia explicare, ita ut in re sacra tanti momenti fideles debite edoceantur.

170. Si quis sacerdos, cuius erit matrimonio assistere, adeo fuerit sui sancti officii immemor ut eidem assistere recuset, nisi obtenta prius aut saltem promissa certa quadam pecuniae summa, vel alia re pretio aestimabili, suspensionem suo Ordinario reservatam ipso facto incurrat.

XXI.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

171. Cum laqueus ruinae populi sit sacerdos malus, salus vero gregis integritas Pastoris, studeant clerici, memores vocationis qua illos dignatus est Deus, ita vitam moresque componere ut sint in omni loco bonus odor Christi facti forma gregis ex animo; nec communem fidelium vitae honestatem sibi sufficere existiment, sed eluceat in iis totius forma iustitiae; et in alto gradu positi, in sublimi quoque virtutum culmine sint erecti, "ut sicut sacro ordine a reliquis hominibus seiuncti sunt, ita a communis fidelium vitae usu seiuncti, praecipuum quoddam atque hoc praestantius vivendi genus sequantur quo ordinis dignitate praecellunt." (S. Car. Borrom. Conc. Mediol. iv., Monit. vii.). "Nihil est," ut sapienter monent Patres Tridentini, "quod alios magis ad pietatem ac Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur,

in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem." (Conc. Trid., sess. xxii., de Reform. c. i.)

172. Fugiant igitur clerici ea omnia quae non solum deturpant, verum etiam dedecent, illos qui in terris pro Christo legatione funguntur.

173. Convivia saecularium frequentiora, praesertim intempestiva, haud aucupentur nec ament, memores istius S. Hieronymi consilii; "numquam petentes, raro accipiamus rogati."

174. Cum in chartis lusoriis haud modicum aliquando tempus teratur et desidia turpiter foveatur, caute admodum adversus huiusmodi lusum se munire debet sacerdos, praesertim ubi de pecunia agitur, ne aleatoris nomine notetur.

175. Sacerdotes omnes enixe hortamur ut laicos tum verbo tum exemplo avertere conentur ab illa consuetudine prava de cursibus equorum pignoribus certandi, praesertim ubi multa pecunia exponitur.

176. Conviviorum festivitatem ad intempestam noctem producere viro ecclesiastico omnino indignum iudicamus; nec cum debita ad orationem attentione, nec cum decenti ac devota Sacrorum Mysteriorum celebratione, ullo modo conciliandum; districte igitur prohibemus ne ullus sacerdos chartarum vel alios huiusmodi lusus ad multam noctem protrahat, neque magnam in ipsis pecuniam exponat. Sciant sacerdotes in hac re delinquentes se indignos reddere qui ad curam parochialem promoveantur.

177. Ab omni specie intemperantiae et ebrietatis, omnium vitiorum fomitis ac nutricis, prorsus abhorreant. Tamquam medium perutile temperantiam fovendi et fidelium animos ad amorem huiusce virtutis alliciendi, enixe hortamur nostros sacerdotes a potu inebrianti, etiam in modica quantitate, saepe praesertim sumpto, caute abstinere. Hospitia et cauponas non ingrediantur. Si quis vero ebrietatis praesertim publicae reus fuerit, illum ecclesiasticis poenis graviter plectendum esse declaramus.

178. Omni laude dignum existimamus quorumdam in unaquaque dioecesi sacerdotum morem ab usu cuiuscumque potus inebriantis prorsus abstinendi, atque vellemus ut ob mutuam aedificationem et hortamentum, atque in aliorum exemplum, sacerdotes Societatem Totalis Abstinentiae sub regulis ab Episcopo approbatis efformarent.

179. Choreas et saltationes tam publicas quam privatas clerici omnino fugiant, nec eas instituant, nec ullo modo promoveant.

180. A publicis equorum cursibus, et ab iis e loco quovis vicino spectandis, a theatrorum quorumcumque publicorum spectaculis, etiam illius generis quae nomine *Opera* designantur, necnon a spectaculis illis quibus vulgo nomen *Circus* tribui solet, prorsus abstineant. Si quis vero clericus hanc legem violaverit, suspensionem Ordinario reservatam ipso facto incurret.

181. Prohibemus insuper ne intersint venationibus quae fiunt cum equis et canibus, nisi ob rationes speciales id Episcopus permittat.

182. Ab omni luxu et fastu mundano sacerdotes se alienos ostendant, memoria retinentes se esse ministros Illius qui in terris degens non habebat ubi caput reclinaret.

183. Omne studium et gloriam suam non in divitiis mundanis, sed in eo reponant ut domus Dei rite ornata et omni decore plena sit, utque vineae spirituales sibi

commissae virtutibus floreant, et opportuno tempore dent fructum suum.

184. Nullas statuas aut picturas indecoras in domibus retineant: cubicula vero sacris imaginibus exornent.

185. Licet habitus non faciat monachum, tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre oportet, ut per decentiam habitus externi morum honestatem internam ostendant. Itaque clericorum vestitus nec sordes nec luxum sapiat, sit semper nigri vel subnigri coloris, et eiusmodi ut facile eius ope viri ecclesiastici ab omnibus aliis distinguantur.

186. Decernimus ut omnes clerici *Collare Romanum* deferant etiam extra propriam dioecesim. Volumus etiam ut in omnibus collegiis ecclesiasticis, Superiores, Professores, et alumni statui clericali destinati, intra moenia collegii, et sacerdotes omnes saeculares in domibus suis, quantum fieri potest, veste talari induantur. Cum e domibus egrediuntur, induti sint, omni secluso praetextu, habitu qui saltem genua attingat.

187. Gestare Collare Romanum, quod merito vocatur sacerdotum insigne, omnibus laicis catholicis, omnino interdicimus.

188. Alte animo infixum habeat sacerdos in vanum se sibi proponere eximiam istam virtutem castitatis, sacerdotii decus et ornamentum, intactam servare, si cum mulieribus, etiam devotis, nimiam consuetudinem, nedum familiaritatem, colere velit. Igitur tum intra tum extra paroeciam haec periculosa cum feminis consuetudo prorsus est vitanda, neque solus cum sola, sive domi degens sive iter faciens, nimia familiaritate conversetur. Quisnam Samsone fortior, Davide sanctior, Salomone sapientior? Et quia sacerdotes non solum innocentes, verum etiam ab omni mali suspicione immunes esse debent, ancillae vel oeconomae quae illis ministrant provectiores sint aetate, spectatae morum honestatis, et quae nulli incontinentiae suspicioni locum praebere possint.

189. Insuper ad omne periculum scandali et suspicionis praecavendum, sub poena suspensionis ferendae sententiae vetamus ne quis sacerdos aliquam mulierem sociam et commensalem in sua familia retineat, aut tamquam comitem in itinere circumducat. Excipiuntur illae quae proximiore gradu consanguinitatis sacerdoti coniunguntur: de quo gradu iudicet Episcopus.

190. Nullus Parochus retineat in domo sua familias affinium aut consanguineorum. Quod si in eadem domo cum Parocho habitent eius Coadiutores seu Vicarii, districte prohibemus ne Parochi in praedicta domo ullo modo consanguineas vel affines iuniores retineant, nisi permittente Ordinario. Eadem valet prohibitio de Parochorum Coadiutoribus vel aliis sacerdotibus simul habitantibus.

191. Nulli sacerdoti in domo conducta aut privata habitare permittatur absque praevio Episcopi consensu.

192. Caritatem imprimis foveant sacerdotes, qua tamquam discipuli Christi dignoscantur, scientes fructus uberiores ex laboribus suis esse proventuros quo arctiori pacis et caritatis vinculo adstringuntur. Ab obtrectationibus omnino abstineant; nec invidos illos sermones, praesertim coram laicis, spargant quibus vel leviter fama et existimatio eorum laedatur qui eiusdem ministerii sunt consortes.

193. Prohibemus quominus lites et iurgia inter se de rebus politicis in conventibus publicis,[1] et magis adhuc in foliis seu ephemeridibus, ineant sacerdotes, ita ut rixas et contentiones cum aliis evitent, ut dignitas sacerdotalis nihil detrimenti capiat, utque caritas illa quae robur est Ecclesiae minime violetur. Quaecumque denique vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta ac religiosa, ea cogitent eaque agant.

194. Praeterea ne tentationibus et periculis quae undique

[1] Vid. infra, pag. 121, n. 397.

grassantur succumbant, ut labores et onera Ordinis clericalis strenue perferant, ut ex oratione hauriant quod in populum refundant, ut gratias uberes in oves sibi commissas a Patre luminum descendere faciant, orationi indesinenter insistant, atque videant imprimis ut orationi mentali, sine qua Pastor animarum salutem vix consequi potest, quotidie incumbant. Volumus igitur ut mane per semihoram in pia oratione sese quotidie exerceant.

195. Cum vero ordo, iuxta S. Augustinum, dux sit ad Deum, idcirco quam maxime consulendum videtur, ut officia quotidie peragenda certo aliquo ordine, quantum fieri potest, disponat sacerdos, ita ut tempus orationi suppetat, necnon studio et meditationi sacrarum litterarum, praecipue S. Scripturae et Theologiae Moralis.

196. Optandum quam maxime est, ut horam aliquam Parochi statuant, qua in suis domibus singulis diebus vespertino tempore tertia pars Rosarii, assistente tota familia, recitetur, aliaeque preces vespertinae peragantur.

197. Frequentem Sanctissimae Eucharistiae visitationem omnibus sacerdotibus enixe commendamus, necnon singularem cultum erga SS. Cor Iesu, cui tota Hibernia, Dominica Passionis, anno 1873, solemniter dedicata est, simulque singulare obsequium erga Dei Matrem Immaculatam, castissimumque eius Sponsum S. Iosephum, qui Patronus Ecclesiae Universalis a Summo Pontifice declaratus est.

198. Et quoniam cavendum est illis qui, inter tot inquinamenta vitiorum et rerum mundanarum tumultus, ministeriis exterioribus necessitate officii sunt addicti, ne tepescat ardor spiritus, aut sordescat nitor animae, ideo, ad pietatem refovendam et gratiam Spiritus Sancti resuscitandam, praecipiendum iudicamus omnibus sacerdotibus qui sacrum ministerium exercent, annis singulis in secessum spiritualem convenire, ubi ad rerum aeternarum meditationem, ad vitam

priorem emendandam, et ad perfectionem promovendam animos sedulo intendant. Hortamur etiam in Domino omnes viros ecclesiasticos, praesertim sacerdotes, ut peccata sua qualibet hebdomada confiteantur quando sine gravi incommodo id fieri poterit.

199. Cum ea quae in scholis didicerunt, ex memoria facile excidant, nisi usu constanti recolantur, ideo Collationes theologicas saltem quater, iuxta consuetudinem hic ubique vigentem, singulis annis indicendas consulimus, in quibus de iis quaestionibus tractetur quae ad praxim praecipue pertinent.[1] Illis Collationibus tumParochi tum Coadiutores, tum etiam regulares curam animarum quomodocumque exercentes, respondere parati, adesse teneantur: nec studio disputandi vel quaestiones inutiles aut vanos sermones intermiscendi, exercitia theologiae tam fructuosa perturbare alicui permittatur.

200. Lectioni praeterea attendant: supellectilem librorum ecclesiasticorum sibi comparent; saltem sacra Biblia, integrum aliquem Theologiae cursum, Canones Concilii Tridentini, Catechismum Romanum, et vitas Sanctorum habeant et assidue manibus versent.

201. Ut iuniorum sacerdotum animus ad studia stimuletur, praescribimus ut omnes sacerdotes Examen, tum voce tum in scriptis, circa materias praestitutas, per primum saltem quinquennium sacri ministerii in dioecesi obeundi quotannis subeant.

202. Scientiae in his Examinibus exhibitae, aliis quidem dotibus non praetermissis, ratio habebitur ab Episcopo in missionibus assignandis: sacerdotes vero qui sufficientis scientiae argumenta non praebuerint, ab annuis deinde Examinibus, si ita velit Episcopus, non eximentur donec satis in scientiis divinis progressi fuerint.

[1] Vid. supra, pag. 45, n. 9.

203. Libros et ephemerides ad passiones inflammandas conscriptos, vel religionem, sive palam sive insidiose, aut impugnantes aut ludibrio vertentes, prorsus evitare debet sacerdos. Spiritum enim orationis fovere tenetur, ideoque animum potius in sacras litteras, quae ad salutem instruant, convertere debet.

204. Presbyteri, excepto casu necessitatis, sese in testamentis conficiendis non immisceant; neque, inconsulto Episcopo, sese constitui sinant exsecutores testamentorum laicorum, nec in rebus pecuniariis aut in exsecutione quorumcunque contractuum se vades aliorum constituant; neque munus tutoris, vel fiduciarii (*Guardian or Trustee*) sine expressa Episcopi licentia sibi conferri permittant.

205. Vetamus ne quis sacerdos pecunias in custodiam umquam accipiat: numquam igitur nummos pauperum aut aliorum penes se retineat vel etiam deponi permittat, ne vel propria ipsius incuria vel alia causa sic eos perire sinat ut laesae fidei, aut avaritiae, aut etiam iniustitiae suspicione nomen sacerdotale maculetur.

206. Quod si sacerdos opus caritatis esse ducat rudiores aut pauperiores in disponendo de suis parcimoniis adiuvare, prohibemus ne pecunias eorum, etiam sponte ab iis oblatas, apud se retineat; curet vero ut apud aerarium publicum (*Bank*) eae deponantur, addito in depositi documento ipsius nomine, si ita depositori placuerit.

207. Moribundus haud raro partem bonorum sacerdoti, non in ipsius sacerdotis usum, sed in salutem animae suae indefinite cedit: quo in casu sacerdos rationem accuratam Episcopo legatus huiuscemodi reddere, atque pecuniam vel fundum ad bonum spirituale testatoris applicare modo ab Episcopo statuto, sub poena suspensionis ferendae sententiae, tenetur.

208. Quoniam nobis infausta experientia constat, quosdam

sacerdotes, vel incuria, vel nimio fastu, vel consanguineos sublevandi causa, cum magno proximi detrimento et fidelium scandalo, gravibus debitis sese onerare, prohibemus ne in posterum quis Parochus, sine expressa Ordinarii licentia, plusquam centum, neque Vicarius plusquam triginta aureorum debito sese scienter oneret.

209. Prohibemus praeterea ne sacerdotes quicunque, ecclesiae nomine vel causa, aes alienum contrahant sine Episcopi licentia in scriptis danda.

210. Ad sustentationem sacerdotum, praesertim Vicariorum, qui quamvis laude digni, tamen ob adversam valetudinem munia sua obire nequeunt, taxam annuam in proxima Synodo Dioecesana post Decretorum horum promulgationem definiendam, omnes dioeceseos sacerdotes solvere teneantur. Nemo autem huius sustentationis sit particeps nisi medici testimonium exhibuerit.

211. Stricte prohibemus sub poena suspensionis ne quis sacerdos extraordinariam pecuniae collectam, aut aliquid equivalens, a populo oblatam, sine scripta Episcopi licentia, quovis praetextu accipiat.

212. Ne lites post sacerdotis obitum cum scandalo fidelium oriantur, praecipimus ut sacerdotes qui bonorum Ecclesiasticorum possessionem aut administrationem quomodocumque tenent, testamenta sua rite confecta et signata habeant, atque in archivis dioecesanis, aut in alio loco tuto ab Episcopo vel designato vel probato, reponant. Hortamur pariter reliquos sacerdotes ut non decedant absque testamento, atque in eo non obliviscantur Ecclesiarum aliorumque operum piorum.

213. Insuper praecipimus ut in posterum inter executores testamenti eorum qui habent possessionem aut administrationem bonorum ecclesiasticorum, unus saltem eligatur de consensu Ordinarii sacerdos eiusdem dioeceseos.

XXII.

DE EPISCOPIS.[1]

214. Episcopi passim a SS. Patribus, Principes Ecclesiae, Apostolorum successores, et Christi Legati vocantur. Quam difficilia sint eorum munera ex Concilio Tridentino constat:— "Optandum est ut ii qui Episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est et fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si praepositos suos viderint non ea quae mundi sunt, sed animarum salutem ac caelestem patriam cogitantes." (Conc. Trid., sess. xxv., de Reform. cap. 1.)

215. Episcopis id imprimis curandum est ut sibi, ex praescripto S. Pauli, attendant. Verum id non sufficit. Episcopi enim debent etiam orare pro populo ipsis commisso, et pro eo sacrosanctum Missae Sacrificium diebus Dominicis aliisque festivis, etiam suppressis, offerre. Et cum speculatores domus Israel sint constituti, aliorum saluti invigilare omnino tenentur. Ante omnia opus est ut assidue laborent, ne fides, quae humanae salutis est initium et fundamentum, detrimenti aliquid patiatur. Itaque conatibus eorum fortiter sese opponant, qui hisce etiam temporibus pauperes calamitatibus et miseriis afflictos, oblata pecunia, seducere nituntur. Curent etiam ut populus accurate religionis principia ediscat, atque caveant ne errores et depravatae opiniones inter eos disseminentur.

216. Episcoporum munus est etiam praedicare. Hac de re recolenda sunt quae Concilium Tridentinum, sess. v., cap. 2, de Reform. praescribit:—"Quia vero Christianae Reipublicae non minus necessaria est praedicatio Evangelii quam lectio, et hoc est praecipuum Episcoporum

[1] Vid. Append. pp. 140-186.

munus, statuit et decrevit eadem Sancta Synodus, Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, et omnes alios ecclesiarum Praelatos, teneri per seipsos . . . . ad praedicandum Sanctum Iesu Christi Evangelium . . . . Si vero contigerit" eos "legitimo detineri impedimento . . . . viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum." Et alio in loco, sess. xxiv., de Reform. c. 4:—"Praedicationis munus, quod Episcoporum praecipuum est, cupiens Sancta Synodus, quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri . . . mandat ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis munus assument, in aliis autem ecclesiis per Parochos, sive, iis impeditis, per alios ab Episcopo . . . . deputandos in civitate aut in quacunque parte dioeceseos censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis, tempore autem ieiuniorum Quadragesimae et Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas divinamque legem annuntient, et alias quotiescumque id opportune fieri posse iudicaverint. Moneatque Episcopus populum diligenter teneri unumquemque paroeciae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei."

217. Cum Episcopo cura sit commissa pascendi gregem, et Pastores alios constituendi qui ei adiumento sint in eo munere, perspicuum est nullum Parochum sine venia Ordinarii sacerdotes ex aliena dioecesi vocare posse ad praedicandum, vel ad populum quomodocumque erudiendum. Quod ad praedicatores Ordinum Religiosorum spectat, Concilium Tridentinum haec habet:—"Regulares . . cuiuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, praedicare non

possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant. In ecclesiis vero quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in his ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo praedicare possint." Sess. v., cap. 2, de Reform. Idem Concilium, sess. xxiv., cap. 4, de Reform., addit:—"Nullus autem sive saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat." Regulares in propriis ecclesiis praedicaturi, coram Episcopo loci se sistere debent eiusque benedictionem petere. Quod si Episcopus contradicet, nullomodo praedicare licebit.

218. Quae de residentia a Concilio Tridentino praescripta sunt (sess. vi. cap. 1; sess. xxiii. cap. 1) accurate sunt servanda.

219. In memoriam revocamus et stricte observari praecipimus Decretum Concilii Tridentini (sess. xxiv. c. 2, de Reform.) quo tenentur Metropolitani Provinciale Concilium singulis trienniis convocare, cui Episcopi comprovinciales interesse debent, atque Episcopi Synodum Dioecesanam quotannis celebrare astringuntur,[1] ad quam accedere omnes qui curam animarum gerunt speciali modo tenentur.

220. In singulis Hiberniae provinciis, habeatur Concilium Provinciale intra annum postquam a Sancta Sede recognita fuerint huius Synodi Decreta.

221. In Dioecesana vero Synodo, Statuta Conciliorum Provincialium aut Plenariorum publicentur, eaque omnia agantur quae ad rectam dioeceseos administrationem spectent.

222. Insuper Examinatores iuxta Decretum Concilii Tridentini in Synodo Dioecesana nominandi sunt, quorum tres saltem adhiberi debent in Examine pro Ordinibus et paroeciis conferendis. His autem quavis de causa deficientibus,

[1] Vid. Append. pp. 10-13.

Examinatores Prosynodales vi facultatis a Sancta Sede petendae adhibere oportet.[1]

223. Ubi vero desunt Capitula Canonicorum, sex aut ad minimum tres Consultores de clero sunt nominandi, quorum consilium aut consensum exquirere debet Episcopus in casibus a iure definitis.

224. Quae de cura pauperum et miserabilium personarum, et de legatis piis exsequendis, in sacris Canonibus et praesertim in Concilio Tridentino habentur, accurate ab Episcopo sunt servanda.

225. Tenentur Episcopi Hiberniae singulis quinquenniis visitare limina Apostolorum nisi dispensati fuerint, et relationem status suarum dioecesium exhibere iuxta formam traditam a Sacra Congregatione de Propaganda Fide in Instructione data die 21 Januarii, 1861.[2]

226. In testimonium amoris et obsequii erga Sedem Apostolicam statuimus Denarium S. Petri singulis annis Dominica intra Octavam Festi SS. Petri et Pauli in omnibus ecclesiis esse colligendum, et Romam, quam primum commode fieri potest, ab Episcopo transmittendum.[3]

227. Inter Episcopalis officii munera, praecipua est, et ad salutem gregum maxime necessaria, Visitatio. Ideo haec Synodus monet Episcopos omnes, ut singuli, ex Decreto Sacri Concilii Tridentini, ecclesiam suam ac dioecesim visitent intra tempus ab eodem Concilio praestitutum. (Sess. xxiv., c. 3.) Si tamen Visitationem dioeceseos intra biennium perficere nequeant, eamdem Vicario vel alii sacerdoti idoneo committant, qui omnia praescripta, praeter Confirmationem, accurate adimpleat. Ut autem dioeceseos Visitatio recte peragatur, saltem unus Convisitator est adhibendus, qui efficaci opera in Visitatione peragenda Episcopum adiuvet. Insuper monendi sunt Parochi ut Epi-

[1] Vid. Append. pp. 13, 14. [2] Vid. Append. pp. 187-193.
[3] Vid. Append. pag. 193.

scopum paroecias visitaturum recipiant iuxta modum, in quantum fieri potest, in Pontificali Romano praescriptum.

228. Sequentia monita ex prima Synodo Provinciali a S. Carolo Borromeo habita, excerpsimus:—"Meminerint Episcopi Visitationem ad salutem eorum qui visitandi sunt institutam esse: quamobrem, illis maxime propositum esse debet, ut in iis incorruptam, orthodoxamque doctrinam, probatam morum disciplinam tueantur ac restituant. Studebunt verbi Dei praedicatione, vehementi exhortatione, ad religionem, vitae innocentiam, pacemque et concordiam omnes adhortari."

229. Si vero privata admonitione opus esse intelligunt, doceant, arguant, obsecrent, pro rei, personae, ac temporis ratione. Confirmationis Sacramentum, ubi opus erit, ministrabunt.

230. In singulis locis a viris aetate, usu, et probitate commendatis, de omnibus subtiliter inquirent quae eos pro officii sui munere scire oportebit.

231. Ecclesiam et omnes eius partes inspicient: an in eo cultu et nitore serventur qui domum Dei deceat: et si quid restituendum, reparandum, reconcinnandumve sit, iubeant ab eis ad quos pertinet, et praesertim ab ipso Parocho, resarciri.

232. Videndum etiam an desint vestes, libri, calices, patenae, corporalia, et reliqua eius generis instrumenta et ornamenta quae ad Altaris ministerium, et ad divina officia sunt necessaria: an illa munda et purgata serventur: an ecclesiae libri, vetera scripta, instrumenta et privilegia, custodiantur: an eorum reddi possit ratio quae in inventarium parochiale relata sunt.

233. An Parochi resideant, et administrationi Sacramentorum, Missarum ac divinorum officiorum celebrationi, anniversariorum persolutioni, aliisque oneribus et muneribus satisfaciant; quae sit vitae eorum ratio; qui vestitus; quibuscum versari soleant; qualis sit eorum familia.

234. An Parochi libros habeant in quibus baptizatorum, confirmatorum, eorum qui matrimonio coniunguntur, et defunctorum, nomina et cognomina describantur ad tramitem Ritualis Romani: porro volumus ut a Parochis adhibeantur libri illi, in columnas divisi et typis expressi, qui ab Episcopis adprobati sunt.

235. An rite Sacramenta ministrentur; an sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum, sacrum Chrisma, et reliqua sacra, ea munditia, cura, et custodia qua debent conserventur, et suo tempore mutentur.

236. An legitime matrimonia contrahantur.

237. An Parochi in ecclesiis suae curae commissis, maxime diebus festis, adsint.

238. An Dei verbum praedicent: an pueros rudimenta fidei doceant.

239. An libros quos in hac Synodo habendos praescripsimus, habeant.

240. Dispiciant an in populo sint aliqui flagitiosi homines qui scandalum praebeant: an sint usurarii aut concubinarii.

241. An sint qui legata pia non exsequantur. Episcoporum enim est providere ut omnia legata in pios usus relicta, iuxta intentionem testatorum debito tempore executioni mandentur. In hisce vero rebus, sacerdotes, si legatarii vel testamentorum exsecutores sint, tenentur Episcopum consulere et consilio ipsius dirigi.

242. An domestica patrumfamilias disciplina in educandis liberis diligens, pia, et honesta sit.

243. An scholae recte gerantur: an piis et Catholicis disciplinis adolescentes erudiantur: an iuxta huius Synodi praescriptum Parochus vel Vicarius scholas omnes parochiales invisat.

244. His exquisitis, cognoscere studeant quinam ex regularibus sive praedicandi munere fungantur, sive fidelium Confessiones audiant; an eorum probata sit doctrina, et bona aestimatione iidem gaudeant.

245. An Hospitalia et alia pia loca recte administrentur, eorumque bona prudenter fideliterque in eum usum cui addicta sunt distribuantur: an qui in Hospitalibus sunt pie vivant.

246. De scholis sciant, quos libros discipulis magistri interpretentur: an magistri idonei sint: an officio satisfaciant.

247. De Bibliothecis diligenter quaerant, an in iis sint libri pii atque utiles: an excludantur periculosi.

248. Si quid in his omnibus tollendum corrigendumve fuerit, tollent et corrigent: ad puniendos delinquentes, censuras et alia iuris remedia adhibebunt.

249. Omnes vero summo studio monebunt et hortabuntur ut officii sibi commissi munus fideliter ac diligenter exerceant.

250. Neque solum haec, sed quaecumque a Concilio Tridentino, a Summis Pontificibus, vel a Nobis in Synodis praecipiuntur, et alia multa, quae pro eorum prudentia ac pietate ad utilitatem ac salutem populorum eis in mentem venire poterunt, exquirent et exsequentur.

251. Caveant vero ne legem de victu, procuratione, et muneribus, a Sacro Concilio Tridentino definitam, transcendant.

252. Antequam Episcopus paroeciam aliquam visitet, ad Parochum schedulam transmittat, in qua a Parocho exhibenda est accurata relatio eorum omnium ad paroeciam spectantium quorum memoriam Episcopus opportunum iudicaverit in Archivis dioecesanis adservari.[1] In schedula recenseantur libri aliaque omnia quae Episcopus velit tempore Visitationis inspicere.

253. Episcopi etiam erit invigilare, ut Decreta huius Synodi accurate serventur, et nulla praxis his contraria introducatur: in quo graviter conscientia Episcopi oneratur.

254. Quoniam nihil plus confert in Ecclesiae bonum quam recta educatio ecclesiasticae iuventutis, institutioni et

[1] Vid. infra, pp. 124, 125, nn. 413-416.

gubernationi seminariorum sedulo invigilent Episcopi. Curent ut nonnisi docti et pii Superiores et Professores eis praeficiantur. Alumni seligantur bonae indolis, firmae valetudinis, nati ex parentibus nulla labe insaniae infectis, quorum avita fides et pietas spem praebeat fore ut eorum proles sit statui clericali apta.[1]

255. Nisi aliunde de eorum dotibus constet, Examinatorum Synodalium aut Prosynodalium examini subiiciendi sunt omnes sive regulares sive saeculares qui ordinationem petunt, et omnes sacerdotes, sive regulares sive saeculares, antequam ad sacras Confessiones excipiendas adprobentur.

256. De sacerdotibus ignotis et vagis Concilium Tridentinum, sess. xxii., mandat Episcopis: "ut irreverentia vitetur, singuli in suis dioecesibus interdicant ne cui vago et ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat." (Decr. de observandis et evitandis). Et iterum (sess. xxiii., cap. 16, de Reform.): "nullus praeterea clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad Divina celebranda et Sacramenta administranda admittatur."

257. Hisce Decretis inhaerentes vetamus ne Parochi aut eorum Vicarii, vel regularium vel monialium ecclesiarum Rectores, vagos et nulli dioecesi addictos, aut ignotos sacerdotes ad sacra peragenda admittant. Si agatur vero de sacerdote qui alii dioecesi adscriptus est, ipse tenetur litteras proprii Ordinarii exhibere antequam ad celebrandum admittatur. Attamen si ecclesiarum Rectores bene noverint sacerdotem alienum dignum esse qui ad celebrandum admittatur, illi licentiam pro aliquot diebus dare possunt, donec adiri poterit Ordinarius dioeceseos.

258. Hinc ad evitanda incommoda, et ne ab altari arceantur, sacerdotes in exteras dioeceses profecturi commendatitiis proprii Ordinarii litteris se munire debent quae eos sacerdotes esse testentur et immunes a censuris, et dignos quibus Sacra Mysteria celebrare permittatur.

[1] Vid. Append. pag. 335.

259. Omni zelo et paterno affectu foveant Episcopi religiosas monialium familias; eosque hortamur ut Conventus earum quae non sunt exemptae quotannis per seipsos aut per sacerdotes idoneos, ad id specialiter deputandos, visitent.

260. Insuper Episcopo cura est imposita invigilandi clausurae in omnibus monialium monasteriis etiam exemptis: et ad hoc monasteria visitandi ius habet, quoties opus esse iudicaverit, et moniales ipsas in his quae ad clausuram pertinent alloquendi et examini subiiciendi. Licentia exeundi, causa cognita, ab Ordinario in scriptis approbari debet.

261. Episcopi habeant apud se formulas litterarum, proprio stemmate signatas, excorporationis, licentiae abeundi, ordinationis, dispensationum, et aliorum quae de more requiruntur: quarum exemplaria in Appendice huius voluminis habentur.[1]

262. Litteras quoque Testimoniales transmittere debent cum Dimissorialibus, ut subditi sui ab alieno Episcopo rite ordinari possint: easdem Testimoniales accipere debent ab Episcopo loci ubi alumni sui studia sacra peragere solent, ut ipsi eos ad Ordines legitime promovere possint.[2]

XXIII.

DE VICARIIS GENERALIBUS ET FORANEIS.

263. Cum plerumque contingat Episcopos variis curis laboribusque distentos per se ipsos non sufficere ad omnes sui muneris partes perficiendas, ideo mos invaluit, quem sacri Canones Concilii Lateranensis IV deinceps probarunt, ut Episcopus viros quosdam idoneos sibi assumat qui assistant in iis exsequendis quae ad iurisdictionem Episcopalem spectant.

264. Vicarii Generalis nomine intelligitur ille qui cum potestate generali tum quoad loca tum quoad causas ab Episcopo constituitur, atque eiusdem vices gerit ita ut in

[1] Vid. Append. pp. 194-202. [2] Vid. Append. pag. 125.

iurisdictione exercenda eadem moraliter censeatur esse utriusque persona, idemque sit utriusque tribunal, eousque quod non detur a Vicario ad Episcopum appellatio. (Cap. Roman. 3, tit. 15, lib. 2 in Sexto: Cap. 2, tit. 4, lib. 1 in Sexto.)

265. Eius iurisdictio ordinaria est,[1] utpote lege eius officio annexa, vi cuius semel constitutus ea omnia efficere valet quae iurisdictione sua ordinaria potest ipse Episcopus, exceptis duntaxat iis quae Episcopus in Vicario constituendo specialiter sibi reservat, atque iis quae ex Iuris Canonici praescripto mandatum speciale exigunt ut a Vicario tractentur: qualia sunt Synodum congregare, beneficia conferre aut auferre, dioecesim visitare, aut indulgentias concedere. (Vid. Ben. XIV. de Syn. Dioec. lib. 2, cap. 8, n. 2.)

266. Vicarii Generalis iurisdictio exspirat 1° per Renuntiationem, 2° per Revocationem, 3° per Episcopi mortem, ac generaliter per ea omnia quibus ipsa cessat iurisdictio illius Episcopi, cuius Vicarius est.

267. Quo melius insuper provideatur tum ovium saluti tum ecclesiasticae disciplinae observationi, praeter Vicarium Generalem, qui toti praeest dioecesi, alios solent Episcopi determinatis quibusdam dioeceseos regionibus Vicarios praeficere, ut sui quisque territorii paroeciis diligenter invigilet. Hi Vicarii Foranei nuncupantur, seu Decani Rurales.

268. Inter cetera, pro iurisdictione diversa ipsis collata, quae ab arbitrio Episcopi omnino pendet, quaeque extendi vel restringi pro eius lubitu potest, Vicariorum Foraneorum erit quasdam dispensationes concedere; a casibus reservatis absolvere; invigilare moribus et actibus Pastorum aliorumque sacerdotum, necnon illorum iuvenum qui ad sacros Ordines suscipiendos adspirant; Episcopi mandata ad territorii sui sacerdotes transmittere; enixe navare operam ut Statuta tum Dioecesana tum Synodorum Provincialium et Plenariarum ab omnibus accurate serventur, et ut sacra

[1] Vid. Append. pp. 159, 175, 176.

munia presbyterorum erga greges sibi creditos digne et fideliter impleantur; sedulo et frequenter inquirere num absentia negligentiave sacerdotum religio aliquid detrimenti capiat.

269. Quandocumque aliquis sui territorii sacerdos in morbum inciderit, praesertim vero cum mortis periculum imminere videatur, Vicarius Foraneus eum visitet atque omnem in spiritualibus opem infirmo in Domino fratri ferat. Neque inquirere omittat num aegrotus testamentum condiderit, et ubi reponatur. Summam insuper diligentiam adhibeat ne vasa sacra, libri Statutorum, aut ii in quibus nomina baptizatorum et matrimonio iunctorum consignantur, aliaque huiusmodi, in manus alicuius laici deveniant.

270. Vicarii Foranei insuper erit Ordinario saltem semel in anno, aut saepius si opus fuerit, relationem mittere de statu religionis et de moribus clericorum in suo decanatu.

271. Si quis vero sacerdos auctoritatem Vicarii sui Foranei contempserit eiusve spreverit monita, res ad Episcopum vel Vicarium Generalem deferenda est, ut huiusmodi sacerdos condigne secundum Canones puniatur.

XXIV.

DE PAROCHIS ET PAROECIARUM ADMINISTRATORIBUS.

272. Qui ad ecclesiarum parochialium curam sunt promovendi, idonei esse debent aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus quae ad vacantem ecclesiam gubernandam eos aptos reddant. Maximi momenti est ut Parochi hisce omnibus dotibus praediti eligantur: quamobrem forma quaedam Concursus a Concilio Tridentino est proposita. Propter circumstantias huius regionis haec methodus vix potuit temporibus anteactis introduci; nunc vero, mutatis temporibus, nil obstat quominus Examen quoddam ad paroecias vacantes conferendas introducatur, ita ut semper adsint plures sacerdotes e quibus

Episcopus idoneos ad paroecias vacantes eligere possit. Cum autem forma a Concilio Tridentino et a Constitutionibus Apostolicis exhibita adhuc stricte servari nequeat, Synodus methodum sequentem Examinis habendi concinnandam decrevit.

273. Examen singulis quinquenniis, aut frequentius si Episcopus ita iudicaverit, habendum esse decernimus.

274. Veniam huic Examini se subiiciendi ab Episcopo petere illis licebit, qui expleverint universae theologiae cursum, quique, fide et moribus integri, saltem per decennium sacrum ministerium exercuerint, etiamsi semel aut saepius hoc experimentum subierint; integrum autem Episcopo erit de iis admittendis iudicare, atque etiam non petentes, quos ipse velit, vocare.

275. In Examine subeundo tum voce tum in scriptis respondendum erit. Quaestiones depromentur ex Theologia Dogmatica et Morali, Sacra Scriptura, Historia Ecclesiastica, Liturgia Sacra, et, nisi aliter Episcopo visum fuerit, ex Iure Canonico. Candidati insuper quaestionem aliquam ex Catechismo excerptam, sermone captui puerorum accommodato, breviter oretenus explicabunt. Concionem quoque brevem de textu Sacrae Scripturae conscribent lingua vernacula.

276. Examen habebitur, servatis canonicis dispositionibus, litteris praesertim Benedicti XIV. quae incipiunt *Cum illud*,[1] coram Episcopo vel eius Vicario Generali, a tribus saltem Examinatoribus Synodalibus, si adsint; sin vero, ab Examinatoribus Prosynodalibus.[2] Examinatorum autem munus est cumulative ferre iudicium tam super doctrina, quam super concurrentium qualitatibus et dotibus requisitis ad curam animarum rite gerendam.

277. Paroecia aliqua vacante, ex iis quos Examinatores in ultimo Examine idoneos iudicaverint, Episcopus illum in Parochum constituet quem ipse in Domino magis idoneum censuerit.

[1] Vid. Append. pag. 203. [2] Vid. Append. pp. 13, 14.

munia presbyterorum erga greges sibi creditos digne et fideliter impleantur; sedulo et frequenter inquirere num absentia negligentiave sacerdotum religio aliquid detrimenti capiat.

269. Quandocumque aliquis sui territorii sacerdos in morbum inciderit, praesertim vero cum mortis periculum imminere videatur, Vicarius Foraneus eum visitet atque omnem in spiritualibus opem infirmo in Domino fratri ferat. Neque inquirere omittat num aegrotus testamentum condiderit, et ubi reponatur. Summam insuper diligentiam adhibeat ne vasa sacra, libri Statutorum, aut ii in quibus nomina baptizatorum et matrimonio iunctorum consignantur, aliaque huiusmodi, in manus alicuius laici deveniant.

270. Vicarii Foranei insuper erit Ordinario saltem semel in anno, aut saepius si opus fuerit, relationem mittere de statu religionis et de moribus clericorum in suo decanatu.

271. Si quis vero sacerdos auctoritatem Vicarii sui Foranei contempserit eiusve spreverit monita, res ad Episcopum vel Vicarium Generalem deferenda est, ut huiusmodi sacerdos condigne secundum Canones puniatur.

XXIV.

DE PAROCHIS ET PAROECIARUM ADMINISTRATORIBUS.

272. Qui ad ecclesiarum parochialium curam sunt promovendi, idonei esse debent aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus quae ad vacantem ecclesiam gubernandam eos aptos reddant. Maximi momenti est ut Parochi hisce omnibus dotibus praediti eligantur : quamobrem forma quaedam Concursus a Concilio Tridentino est proposita. Propter circumstantias huius regionis haec methodus vix potuit temporibus anteactis introduci; nunc vero, mutatis temporibus, nil obstat quominus Examen quoddam ad paroecias vacantes conferendas introducatur, ita ut semper adsint plures sacerdotes e quibus

Episcopus idoneos ad paroecias vacantes eligere possit. Cum autem forma a Concilio Tridentino et a Constitutionibus Apostolicis exhibita adhuc stricte servari nequeat, Synodus methodum sequentem Examinis habendi concinnandam decrevit.

273. Examen singulis quinquenniis, aut frequentius si Episcopus ita iudicaverit, habendum esse decernimus.

274. Veniam huic Examini se subiiciendi ab Episcopo petere illis licebit, qui expleverint universae theologiae cursum, quique, fide et moribus integri, saltem per decennium sacrum ministerium exercuerint, etiamsi semel aut saepius hoc experimentum subierint; integrum autem Episcopo erit de iis admittendis iudicare, atque etiam non petentes, quos ipse velit, vocare.

275. In Examine subeundo tum voce tum in scriptis respondendum erit. Quaestiones depromentur ex Theologia Dogmatica et Morali, Sacra Scriptura, Historia Ecclesiastica, Liturgia Sacra, et, nisi aliter Episcopo visum fuerit, ex Iure Canonico. Candidati insuper quaestionem aliquam ex Catechismo excerptam, sermone captui puerorum accommodato, breviter oretenus explicabunt. Concionem quoque brevem de textu Sacrae Scripturae conscribent lingua vernacula.

276. Examen habebitur, servatis canonicis dispositionibus, litteris praesertim Benedicti XIV. quae incipiunt *Cum illud*,[1] coram Episcopo vel eius Vicario Generali, a tribus saltem Examinatoribus Synodalibus, si adsint; sin vero, ab Examinatoribus Prosynodalibus.[2] Examinatorum autem munus est cumulative ferre iudicium tam super doctrina, quam super concurrentium qualitatibus et dotibus requisitis ad curam animarum rite gerendam.

277. Paroecia aliqua vacante, ex iis quos Examinatores in ultimo Examine idoneos iudicaverint, Episcopus illum in Parochum constituet quem ipse in Domino magis idoneum censuerit.

[1] Vid. Append. pag. 203. [2] Vid. Append. pp. 13, 14.

278. Haec Statuta de Examine habendo vim habere incipient duobus annis post huius Synodi Decretorum a Sancta Sede recognitionem. Huic Examini non subiicientur sacerdotes qui, paroecias iam adepti, ad alias paroecias transferentur. Excipientur etiam ii quos Episcopus, audita Examinatorum sententia, ideo eximendos arbitratur quod de eorum scientia, ratione muneris quo funguntur, testimonium amplissimum habeat.

279. Quae de residentia, de administratione Sacramentorum, de applicatione Missae pro populo, et aliis Parochorum muneribus in Iure Canonico aut Statutis Provincialibus aut Dioecesanis definita sunt, accurate observari volumus. Quod ad legitimam a paroecia absentiam attinet, sciant Parochi et Coadiutores rationem habendam esse spatii totius temporis absentiae intra annum, sive id continuum sit, sive interruptum.

280. Statuimus ut nullus Parochus a paroecia absit per tres dies continuos, ab hora discedendi computandos, nisi prius Episcopum moneat. Si vero absentiam per quinque dies similiter computandos protrahere velit, licentiam Episcopi in scriptis obtinere debet; nec umquam sine simili licentia die Dominica aut festo ipsi abesse licet, nec ulla occasione nisi substituat alium sacerdotem, ab Ordinario approbatum, qui munia pastoralia interim obeat.

281. Sacerdos, curam infirmorum actu gerens, a domo sua non discedat quin indicet ubinam inveniri possit, ne quid detrimenti fideles patiantur.

282. Parochus Missam in ecclesia parochiali, vel alia ecclesia paroeciae suae, nisi legitime impeditus sit, diebus Dominicis et festivis de praecepto, celebrare tenetur; aliter muneri suo non satisfacit. De munere celebrandi et applicandi Missam pro populo videatur Responsum S. Cong. Concilii, 14 Dec. 1872, in Appendice.[1]

[1] Vid. Append. pag 215.

283. Si in aliqua paroecia Missa publica, die Dominica vel festo de praecepto, ob causam etiam legitimam omissa fuerit, Episcopus statim a Parocho et a Vicario Foraneo de huiusmodi omissione monendus est. Atque si Parochus hoc munus ultra hebdomadam neglexerit, sciat se Episcopi arbitrio poenis ecclesiasticis esse plectendum.

284. Omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae Sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debent, illis etiam diebus qui Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt (Litt. Apostol. *Amantissimi*, 5 Maii 1858), nisi eiusdem Apostolicae Sedis indulgentia a proprio Episcopo hac super re dispensati fuerint.[1]

285. Aut paroecia vacante, aut Parocho ita aegrotante ut de Missa pro populo celebranda providere ipse non valeat, munus illud seniori Coadiutori devolvitur, qui ius habet stipendia pro talibus Missis ex Parochi reditibus recipiendi.

286. Curent Parochi ut non solum diebus Dominicis, sed etiam festivis de praecepto, populus ad Missam audiendam confluat. Hortentur fideles ut in diebus festivis praedictis ab operibus servilibus abstineant: abusus hac in re corrigant.

287. Insuper Parochos eorumque Coadiutores graviter in Domino monemus, ut summis viribus adlaborent suos parochianos avertere a cursibus equorum aliisque ludis publicis quibus fideles ab auditione Missae et debita sanctificatione diei Dominicae dierumque festivarum abstrahantur.

288. Quia vero nundinae quae in diebus festivis fieri solent, occasionem dant praecipuam ebrietati, et saepe impediunt ne Missa audiatur, optaremus ut istae nundinae ubique in alios dies transferantur, sicuti aliquibus in locis, magna, ut constat, cum fidelium utilitate, iam factum est. Interea curet Parochus ne populus aliis negotiis occupatus Missam negligat.

[1] Vid. Append. pag. 11.

289. Parochus prae mente semper habeat inter praecipuas sui muneris partes esse curam aegrotantium. Eos sine mora, si sint in periculo mortis, Sacramentis Ecclesiae muniat, et eorum frequenti visitationi etiam per pios laicos provideat. Vocatus non renuat saepius visitare infirmos, et etiam non vocatus eos vel per se vel per alium sacerdotem frequenter, aut saltem semel in hebdomada, visitet, Sacrum Viaticum saepe administret,[1] et ubi fieri possit, morientibus assistat.[2]

290. Quamquam ob regionis circumstantias non licet Viaticum infirmo solemniter deferre, quocirca a Sancta Sede per Formulam Sextam iam permissum est SS. Eucharistiam occulte ad infirmos portare, numquam tamen audeat sacerdos nisi in bursa seu sacculo decenter ornato, et ad collum appenso, ad aegroti domum Sanctissimum Sacramentum deferre. (Instruct. Prop. de Fide, 25 Feb., 1859.)

291. In eadem infirmitate, si longius protrahitur, Parochi saepius sacro Viatico aegrotos reficiant, cum illud iterum et saepius licite dari possit.

292. In delatione Sanctissimi ad infirmos, sacerdotes Eucharistiam e loco in quo asservatur recto tramite deferant ad infirmos, neque audeant aliis negotiis sese indecenter immiscere; et prorsus abstinendum est ab abusu a Sac. Cong. de Prop. Fide reprobato (Feb. 25, an. 1859), "ut sacerdotes SS. Sacramentum a mane usque ad vesperam secum deferant; ea tantum de causa quod in aliquem forte aegrotum incidere possint."

293. Meminisse debent sacerdotes curam animarum gerentes, se stricte teneri aegrotantes domi visitare eo fine ut eorum qui neque ecclesiam neque (uti vocant) Stationem tuto adire valeant, pium desiderium Sanctam Communionem congruis intervallis suscipiendi impleri possit; ieiunium tamen naturale, extra mortis periculum, servandum est.[3]

294. Singulis saltem Dominicis et festis solemnibus plebem

[1] Vid. Append. pp. 42, 47-51. [2] Vid. supra, pp. 76, 77, nn. 147-149.
[3] Vid. tamen Append. pp. 42, 47-51.

sibi commissam pro sua et eorum capacitate pascat Parochus salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est, ac vitia indicando quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, cum brevitate et facilitate sermonis. (Conc. Trid., sess. v., cap. 2, de Reform.)[1] Quotiescumque aberit ab ecclesia sua Parochus semper curare debet ut alius idoneus hoc munere fungatur.

295. Praecipimus ut diebus Dominicis et festivis omnes qui curam habent animarum, praeter concionem quae in Missa principali fieri debet, intra celebrationem omnium omnino Missarum publicarum Evangelium diei occurrentis, lingua vernacula, id est lingua Hibernica in paroeciis in quibus maior pars populi lingua illa utitur, in aliis paroeciis lingua Anglicana, distincte legant, atque per breve tempus, saltem per duodecimam partem horae, populum in lege Domini erudiant, nisi ob circumstantias alicuius paroeciae Episcopus aliter disponat.

296. Insuper statuimus ut in oppidis et vicis maioribus, diebus Dominicis, quaedam exercitia devota ab Episcopo praescribenda vespere celebrentur. Quod ut fiat diebus etiam festivis omnino optandum est.

297. Meminerint sacerdotes se districte teneri preces quae ante Missam lingua vernacula ex altari leguntur, alta voce, clare, et distincte, fidelibus recitare.

298. Valde optandum est linguam Hibernicam, in quantum fieri possit, frequenter a praedicatoribus adhiberi in iis paroeciis in quibus magna pars populi lingua illa utitur.

299. Praxim, quae in aliquibus locis obtinet, concionem tempore aestivo omittendi diebus Dominicis et festivis omnino reprobamus, nulla in hac re consuetudine obstante.

300. Ne vero contentiones, lites, aut alia scandala ex imprudentia alicuius sacerdotis oriantur, districte prohibemus ne quis Parochus aliusve sacerdos aliquem praesumat

[1] Vid. Append. pp, 216-226, 401-403.

nominatim declarare excommunicatum, nisi prius licentiam huiusmodi declarationis faciendae in scriptis ab Episcopo habuerit.

301. Vetamus etiam ne quis sacerdos, quacumque de causa, inconsulto Episcopo, sive nomine, sive alio modo qui idem valeat, in aliquem ex altari invehatur, aut publice aliquem denuntiet.[1]

302. Parochos hortamur, ut speciali quadam ratione curam gerant pauperum et miserabilium personarum quae in suis paroeciis degunt, atque pueros puellasque qui debita tutela parentum orbantur, collocandos esse in orphanotrophia vel aliter curandos videant; et dum fieri iubent obsecrationes et postulationes pro omnibus qui in sublimitate sunt, divites, ex altera parte, ac potentes a vexandis pauperibus dissuadeant.

303. Quoniam ad succurrendum pauperibus oppidanis nullum medium magis efficax et opportunum nobis videtur quam illa celeberrima S. Vincentii de Paulo Societas toties a Summis Pontificibus, et recentissime a SS. Domino Nostro Leone XIII. feliciter regnante commendata, eius erectionem talibus in locis, ubi fieri potest, magnopere exoptamus.

304. Praecipimus Parochis curare ut singulis diebus Dominicis pueri et puellae per horam post aliquam Missam in ecclesia parochiali catechismum doceantur; omnique zelo studeant Pastores ut omnes pueri et puellae usque ad decimum quintum annum, etiamsi iam susceperint Sacramenta Confirmationis et Eucharistiae, huic instructioni intersint.[2]

305. Parochus semel saltem in unaquaque hebdomada visitet, vel per se vel per suos Vicarios, omnes et singulas scholas primarias in sua paroecia, quas pueris puellisve paroeciae frequentare permittitur.

[1] Vid. infra, pag. 120, n. 393. [2] Vid. Append. pp. 216-230, 401-403.

306. Doctrinam fidei saltem singulis mensibus discipulis explicet modo eorum aetati congruo, nomenque suum et quid egerit in libris (*Official Report Book and Religious Report Book*) ad hoc paratis, atque ab Episcopo occasione cuiusque Visitationis inspiciendis, inscribat.

307. Si propter scholarum distantiam, vel propter magnum earum numerum, nequeat sacerdos eas singulis hebdomadis visitare, sufficiet, de consensu tamen Episcopi, eas visitare saltem semel intra quindecim dies. De casibus extraordinariis providebit Episcopus.

308. Quod si quis sacerdos per quatuor continuas hebdomadas scholas singulas supradictas visitare, vel in eis instructiones opportunas tradere, vel nomen suum et quid egerit in libris inscribere neglexerit, debitis poenis plectatur ad arbitrium Ordinarii.

309. Diligenter curet Parochus ut ludimagistri et ludimagistrae officia sua bene adimpleant, et ut scholares doctrinam Christianam apprime addiscant, atque in religionis exercitia per tempus regulis scholarum permissum quotidie incumbant.

310. Meminerit insuper sacri muneris sui Parochus curandi ut scholarum alumni Sacramenta Poenitentiae et SS. Eucharistiae frequentent iuxta consuetudinem vel regulas dioeceseos.

311. Caveat ne libri male olentes aut non legitime adprobati in scholas introducantur: si qui dubiae sint notae, de iis Episcopum consulat.

312. Omnibus conetur viribus impedire ne in paroecia erigantur scholae quae ad fidem liberorum labefactandam sint destinatae; si vero scholae eiusmodi erectae fuerint, ab iis frequentandis filios Catholicorum prudenter sed efficaciter retrahat.

313. Si vero scholae aliquando erigantur in quibus iura

Parochi non admittantur, aut ad quas visitandas ipse non admittatur, caveat ne eas liberi Catholicorum frequentent.

314. Quod si Parochus animadvertat in aliquam scholam ubi Catholici erudiuntur, ministros protestantes, aut alios heterodoxos admitti ad liberos Catholicorum, vel protestantes, praesentibus Catholicis, in rebus ad doctrinam Christianam spectantibus examinandos vel docendos, aut eiusmodi ius sibi vindicare, volumus ut a tali schola, ne periculis exponantur, retrahantur liberi Catholicorum.

315. Denique quod ad educationem in universum spectat, Parochos hortamur ut magna cum prudentia ac zelo se gerant, atque ut in rebus difficilioribus consilium saepissime cum Episcopo dioeceseos ineant.

316. Meminerint sacerdotes legem recenter latam qua liberi cogi possint scholas frequentare, propriam ipsorum obligationem in hac re nullomodo minuere.

317. Cum luctuosa experientia constet excessum in potu inebrianti non solum esse malum grave in se, sed et fontem et originem plurium peccatorum, ideo curent sacerdotes nostri omni quo pollent zelo ut hoc vitium e medio tollatur. Ad hunc finem laudabilem attingendum, perutile et omnino desiderandum est ut in unaquaque paroecia Societas Temperantiae vel Totalis Abstinentiae, tum pro adultis tum pro iunioribus, erigatur, quae spiritu vere catholico regatur, atque precibus et Sacramentorum virtute stabiliatur. Insuper in Domino enixe deprecamur sacerdotes omnes, praesertim illum cui onus eiusmodi Societatis gubernandae incumbit, ut ad illam magis magisque promovendam firmiusque stabiliendam totis viribus perseveranter adlaborent.

318. Moneant sacerdotes fideles nostros qui liquorum inebriantium mercaturam faciunt, ut studiose coram Deo mente considerent pericula et occasiones peccati quae in isto quaestu non raro inveniuntur, et ne umquam potum

inebriantem vendant iunioribus, iisve quos potu abusuros praevideant.

319. Cum indubitanter constet numerum cauponarum in hac regione existentium nimium esse, attenta populi rationabili necessitate, dent operam sacerdotes ne hic numerus in posterum augeatur, immo ut, in quantum fieri potest, sensim sine sensu minuatur.

320. Omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus qui in ministerio animarum versantur iniungimus ut saltationes modestiae Christianae repugnantes pro viribus impediant. Et sciant Confessarii se suo muneri non satisfacere, si ullo modo, aut sub ullo praetextu, eas permittant aut excusent.

321. Ne permittant clerici saltationes in ullo aedificio sub eorum tutela posito ubi potus immoderate distribuitur, vel ubi, senioribus absentibus, utriusque sexus iuvenes congregantur.

322. Cum gravissima damna tum religioni tum reipublicae ex societatibus secretis oriantur, Parochos monemus ut maximam conferant diligentiam ne huiusmodi societates in suis paroeciis instituantur.

323. Ad sacrorum Canonum tramitem prohibemus ne in posterum novae ecclesiae sine consensu Episcopi erigantur, amplientur, aut notabiliter mutentur. Idem servetur de scholis, et de aliis quibuscumque aedificiis parochialibus.

324. Prohibemus quoque ne collectae ad talia opera parochialia, aliaeve collectae extraordinariae, salvis regularium iuribus, fiant nisi approbante Episcopo, qui in illis permittendis prae oculis habebit Instructiones ab Apostolica Sede datas.

325. Huiusmodi collectas, quomodocunque factas, non penes se retineat Parochus, sed infra mensem deponat in aliquo publico aerario (*Bank*) in nomine trium Curatorum,

quorum unus sit Episcopus, alius ipse Parochus, et tertius aliquis vir pius et prudens.

326. Quoties aliqua fiat eiusmodi collecta, Parochi erit Episcopo rationem reddere pecuniarum omnium acceptarum et impensarum.

327. Si nova aliqua ecclesia vel domus ad paroeciam pertinens sit aedificanda, iubemus ut eiusdem ichnographia et forma, ab aliquo perito viro confecta, Episcopo approbanda exhibeatur antequam prima aedificii fundamenta ponantur.

328. Ut Episcopus de his rebus facilius et securius iudicare valeat, optandum est ut in singulis dioecesibus deputatio aliquorum sacerdotum in hac materia peritorum constituatur, quibus situs, ichnographia, et expensae omnium novorum aedificiorum parochialium, approbanda exhibeantur. Ultra summam ab Episcopo determinandam nulla impendatur pecunia in aedificiis parochialibus erigendis, aut ampliandis, aut ornandis, sine consensu Episcopi, sententia deputationis audita

329. Aedificia sacra, scholas, presbyterium, coemeteria, necnon alia omnia ad ecclesiam pertinentia, sarta tecta custodire Parochus tenetur: aedificia omnia praedicta contra damna quae ex incendio oriantur secura reddantur per annuam solutionem factam alicui societati assecurationis.

330. Districte prohibemus ne quis Parochus sepulturam intra quindecim pedes a muris externis ecclesiae permittat. Antequam monumentum aliquod erigatur in ecclesia, Episcopi iudicio res submittatur.

331. Episcopo in scriptis reddat Parochus singulis annis, mense Ianuario, rationem omnium paroeciae debitorum seu onerum.

332. Curandum omni diligentia est, ut tituli ecclesiarum et domorum parochialium ita conficiantur, ut perpetuo ea aedificia in usum debitum conservari possint.

333. Quoties a Parocho pecunia ad speciale opus

faciendum collecta fuerit, in hoc tantum opere tota expendatur, nec minima pars aliorsum deflectatur.

334. Optat haec Synodus ut in singulis paroeciis domus parochiales prope ecclesias exstent, quibus decem aut quindecim iugera terrae adnectantur; et mandat ut de huiusmodi negotio in Synodis Dioecesanis agatur. Parochorum hac in re industriam excitare vellemus, cum pecunias ad hunc finem necessarias a gubernio civili iam facile mutuari possint.

335. Cum nemo militans Deo negotiis saecularibus se implicare debeat, cumque periculum sit ne ii qui latifundia conducunt tempus in iis colendis impendant quod spirituali populi curae debetur, vetamus ne quis Parochus sine consensu Episcopi, in scriptis habendo, plusquam quindecim iugera terrae conducat, aut per se vel per alium occupet.

336. Latifundium alicui paroeciae ex usu adnexum ne emat Parochus, neque alio modo in usus quosvis privatos convertat.

337. Ex praescripto Concilii Tridentini, et ad normam Ritualis Romani, registrum teneant Parochi baptizatorum, confirmatorum, eorum qui matrimonio coniunguntur, ac defunctorum. Habeant quoque librum status animarum, in quo consignentur nomina, cognomina, aetas, conditio incolarum paroeciae, et cetera quae notantur in Rituali Romano.

338. In unaquaque paroecia conficiatur capsa sufficienter capax et munita, in qua ita conservari possint omnes libri atque documenta ad ecclesiam pertinentia, ut nemo, invito vel inscio sacerdote, ad ea accedere valeat.

339. Iubemus ut Parochus et Vicarii librum communem bene compactum et apud Parochum retinendum habeant, in quo singuli accurate inscribant pecunias a se perceptas, notatis mense, die, et occasione in quibus percipiebantur, utque, singulis mensibus, tempore fixo et ab Episcopo in scriptis constituto, partitione facta iuxta Statuta Dioecesana,

rationes in memorato libro accuratissime componant, easque sua quisque subscriptione muniant. Liber iste, Episcopo quotiescumque ei visum fuerit exhibendus, fideliter custodiatur.

340. Quandocumque sacerdos ex una in alteram paroeciam fuerit translatus aut quomodolibet amotus, nullum ius habebit percipiendi stipendii a populo post suum discessum soluti, nisi aequum aliter Ordinario visum fuerit.

341. Singulis etiam hebdomadis Vicarios apud se convocet Parochus, eosque de statu paroeciae interroget, atque instruat de rebus quae per proximam hebdomadam, et praesertim die Dominica, agenda sint.

342. Ubi plures sunt in paroecia sacerdotes, curet Parochus ut, paroecia in totidem partes divisa, unicuique parti unus ex illis praeficiatur, cui prae ceteris incumbat cura eidem invigilandi. Meminerint vero tum Parochi tum Vicarii omnes, singulos in solidum teneri, prout occasio exigat, ad omnia officia curae pastoralis in paroecia exercenda.

343. Denique mandamus ut sacerdotes aegroti antequam Extremae Unctionis Sacramentum suscipiant, Pyxidem, vasculum Olei Sancti, registra praedicta, Statuta Provincialia vel Dioecesana, et omnia instrumenta sacra quae ad ecclesiam pertinent, Vicario Foraneo aut alii prudenti presbytero tradant custodienda.

344. Curet insuper idem ut, mortuo sacerdote, eius litterae et documenta privata sub clavibus claudantur, ne in laicorum manus incidant.

345. Statuimus ut, mortuo Parocho, libri aliaque documenta, et pecuniae seu collectae parochiales, Episcopo vel successori in paroecia infra mensem tradantur ab eis qui defuncti negotia gerunt.

346. Quae in hoc Capite, aut in aliis huius Synodi Decretis, de Parochis quoad curam et regimen paroeciae statuuntur, eadem de paroeciarum Administratoribus statuta censenda sunt.

XXV.

DE COADIUTORIBUS PAROCHORUM ET DE ALIIS SACERDOTIBUS SAECULARIBUS.

347. Parochis in Hibernia dantur Coadiutores seu Vicarii ob amplitudinem paroeciarum et multitudinem populi. Hi Coadiutores, praevio idoneitatis examine, seliguntur ab Episcopo, et ab eodem de paroecia in paroeciam transferuntur.

348. Eorum iura et munera definiri debent ab Episcopis in Synodis Dioecesanis.

349. Sciant Vicarii, sicut pastoralis officii coadiutores constituuntur, ita et pastoralis oneris et sollicitudinis se quoque participes fieri: ideoque ipsis etiam obligationem incumbere praedicandi, Sacramenta administrandi, scholas visitandi, aegrotantium curam habendi, adolescentes Christiana doctrina imbuendi, Parochos in faciendis collectis ad opera parochialia requisitis adiuvandi, et in promovenda animarum salute se totos impendendi, omniaque officia ad quae ab Episcopis fuerint destinati adimplendi.

350. Meminerint Coadiutores Parochum esse rectorem paroeciae, et proinde erga Parochos reverentiam et subiectionem exhibeant, illos semper consulant de rebus in paroecia ordinandis, et nihil ipsis invitis innovent, nisi aliter Ordinario visum fuerit. Ita debitus ordo servabitur, contentiones quae oriri possint cum scandalo fidelium evitabuntur, et pax quae inter eos qui vineam Domini excolunt existere debet, servabitur.

351. Si quod exsurgat dissidium inter Parochum et Vicarium, tota res iudicio Ordinarii committatur. Interim, causa non finita, Vicarius sententiae Parochi cedet.

352. Vicarii non conducant ullam portionem agrorum, nisi accedat Episcopi consensus.

353. Statuimus et ordinamus ut Parochorum Coadiutores, singulis hebdomadis, aut apud domum Parochi aut loco ab

eo statuto, singuli propriis Parochis sese obvios praebeant, ut inter se de rebus subsequenti hebdomada in paroecia agendis et ordinandis conveniant: aut, quod idem erit, mentem Parochi per epistolas cognitam habere curent, si Parochum absque gravi incommodo visere nequiverint.

354. Si Vicarius extra domum suam pernoctare velit, Parochum prius admoneat, nec a paroecia discedat donec resciverit Parochum certiorem esse factum. Si Vicarius nimis frequenter extra paroeciam pernoctat, Parochi erit Episcopo rem exponere.

355. Si vero per tres dies, ab hora discedendi computandos, absentiam protrahere cupiat Vicarius, Episcopum prius moneat, sine cuius licentia in scriptis concessa numquam illi per quinque dies, similiter computandos, vel diebus Dominicis aut festivis, abesse licebit.

356. Diligenter insuper parendum est Decretis de absentia Vicariorum in Synodis Provincialibus et Dioecesanis statutis.

357. Ut vero Vicarii officia sua omnia omnesque obligationes plene cognoscant, prae oculis habeant non solum huius Capitis Decreta, verum etiam Capitis illius quod "de Parochis" inscribitur, in quo nonnulla traduntur Decreta tam Vicarios quam Parochos respicientia, utrisque pari diligentia studioque servanda.

358. Sacerdotes qui officiis funguntur in collegiis et seminariis sub regimine Episcopali constitutis, regulas illas servent, eos respicientes, quae auctoritate Episcopali statutae sunt.

359. De aliis sacerdotibus saecularibus, qui neque Parochi sunt nec Parochorum Coadiutores, neque officio aliquo in istiusmodi collegio aut seminario funguntur, statuta censenda sunt omnia ea quae in hoc Capite, vel in aliis huius Synodi Decretis, de Coadiutoribus Parochorum decrevimus, exceptis tantummodo iis quae officia Coadiutorum, ut talium, respiciunt.

XXVI.

DE VIRIS RELIGIOSIS.[1]

360. Quo magis magisque religiosi ordines in Hibernia floreant, et feliciori fructu ecclesiam nostram ditent et ornent, enixe hortamur ut Superiores Regularium sequentes ordinationes a suis subditis observari diligenter curent:—

(1°) Ut Regularibus visitationes otiosae in domibus privatis interdicantur;

(2°) Ut Regulares, dum quaestuando circumeunt, Summorum Pontificum Constitutiones accurate servent;

(3°) Ut nullae novae Collectae pecuniariae ad ecclesias aedificandas, vel alia huiusmodi opera promovenda, a Regularibus instituantur sine Ordinarii licentia;

(4°) Ut Regulares non quaestuent extra dioecesim in qua est eorum Conventus, nisi cum licentia Episcopi loci;

(5°.) Ut in suis ecclesiis, singulis saltem Dominicis et diebus festivis, intra Missarum Solemnia fidelibus adstantibus praedicent.

361. Insuper quoad Fratres Ordinum Mendicantium vehementer cupimus ne, dum quaestuam faciunt, extra aedes conventuales, nisi necessitas exigat, pernoctent.

362. Regularis non subditus Episcopo, qui inter claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore, intra tempus ab Episcopo praefigendum, severe puniatur, atque Superior de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, Superior negligens officio privetur a suo Superiore, et Regularis delinquens ab Episcopo puniri possit.[2]

XXVII.

DE MONIALIBUS.[3]

363. Uberrimas imprimis gratias agendas censemus esse Deo, qui Ecclesiam in hac regione plurimis monasteriis, ad

[1] Vid. Append. pp. 231-310.
[2] Vid. Conc. Trid., Sess. xxv., cap. 14, De Reg.
[3] Vid. Append. pp. 231-314.

varias religiosarum feminarum familias spectantibus, ditare dignatus est. Ab huiusmodi piissimis feminis pauperes nostri sublevantur; puellae non solum in litteris, sed, quod longe maioris est momenti, in fide et omnibus virtutibus erudiuntur; aegroti in corpore et spiritu iuvantur; moribundi in spem beatae vitae eriguntur et consolatione replentur. Eximios vero hosce fructus in Ecclesiam et societatem, pro magna parte, ex Constitutionibus et Regulis praedictarum familiarum accurate observatis dimanare persuasum habemus. Itaque vehementer optamus, ut ipsa monasteria numero concrescant, et iisdem ab Episcopis omnia praesidia sedulo subministrentur, quorum ope dicatae Deo virgines in instituti cuiusque primitivo vigore perpetuo perseverent, servatis monasteriorum exemptorum, si quae sint, legitimis privilegiis.

364. Nemini liceat Sororum Constitutiones et Regulas quae a Sede Apostolica adprobatae sunt ullatenus immutare.

365. Optandum est ut domus omnes cuiusvis Sororum seu Monialium Congregationis, sicut Sororum de Misericordia et Monialium Praesentationis, in singulis dioecesibus separatim nunc existentes, sub unica eiusdem Congregationis Superiorissa in unaquaque dioecesi vel provincia uniantur.

366. Diligenter inquirat Episcopus num Constitutiones et Regulae cuiusque Ordinis vel Congregationis rite ac adamussim, tum in littera tum in spiritu, sint in quolibet Conventu aut monasterio observatae: unde caveri possit ne ulla relaxatio sensim sine sensu irrepat.

367. Numquam exeant moniales e septis monasterii nisi iuxta praescriptum Regulae aut ex causa gravi, et in casibus in earum Constitutionibus recognitis.

368. Nullibi erigatur novum monasterium sine congruis reditibus, qui pro magna parte ex bonis iam acquisitis provenire debent.

369. Ordinarius semper consulatur de ratione agendi in rebus gravibus sive spiritualibus sive temporalibus.

370. Ne mendicent de domo ad domum Moniales, sive pertineant ad monasterium aliquod dioeceseos in qua id fiat sive ex alia dioecesi vel alia regione venerint, nisi cum licentia Ordinarii loci in scriptis tradenda, quam si vult concedere, ne tradat ante exhibitam licentiam Episcopi loci ubi domus Sororum quaeritantium existit. Insuper teneantur Superiorissae omnes cautelas adhibere quae Decreto S. Cong. Ep. et Reg. die 27 Martii, 1896, statutae sunt[1]: nec licentia quaeritandi concedatur nisi praedictae cautelae contra omnes abusus et scandalum fuerint adhibitae.

371. Ne permittatur mulieribus saecularibus pernoctare in dormitorio Sororum nisi ex gravi et urgenti causa.

372. Sedulo curent Ordinarii, ut regula aliqua bene ordinata de visitationibus otiosis externorum seu externarum ad monasterium accedentium statuatur nisi iam existat, atque ut stricte observetur.

373. Puellae Ordinem seu Congregationem ingressurae, scripto se obligent ad non exigendam mercedem seu compensationem cuiuslibet operae vel servitii a se in monasterio praestandi, sive tempore quo fuerint postulantes, ut vocantur, sive tempore quo fuerint novitiae aut professae.

374. Expedit ut omnes moniales iuniores muneri docendi operam daturae, in arte paedagogica apprime instituantur.[2]

375. Sorores iuniores ad curam infirmorum destinatae hoc munus in nosocomio suae dioeceseos sive provinciae post professionem addiscant.

376. Ut haec Decreta de Sororibus iunioribus ad effectum deducantur, Deputatio Episcoporum constituatur.

377. Moniales iisdem regulis teneantur quibus tenentur sacerdotes, circa situs scholarum acquirendos ac retinendos,[3] circa pecunias obtinendas ad earumdem erectionem,[4] atque circa Scholas Normales (*Model Schools*), aliasque sub regimine

[1] Vid. Append. pag. 310.
[2] Vid. infra, pag. 135, n. 455.
[3] Vid. infra, pp. 131, 132, nn 435 (5°) et 441.
[4] Vid. infra, pag. 132, n. 440.

immediato Concilii Supremi Educationis Nationalis (*The Commissioners of National Education*) positas.[1]

378. Puellis in Scholis Normalibus institutis litteras commendatitias ne tradant moniales: nec eas in proprium Ordinem seu Congregationem admittant sine expressa licentia Episcopi.

379. In singulis monasteriis Confessarius ordinarius, qui Confessiones monialium audiat, ad triennium ab Episcopo deputetur, et munere suo ultra tres annos non fungatur sine Apostolicae Sedis dispensatione, quae concedi non solet nisi pars maior monialium pro secundo triennio eidem consentiat; pro tertio triennio duae ex tribus partibus, et pro quarto omnes moniales aut saltem pars longe major earumdem consentire debent; et ad hoc determinandum suffragia secreto et capitulariter ferenda sunt.

380. Insuper Confessarius extraordinarius ad singula monasteria mittatur ter aut quater in anno ad excipiendas Confessiones monialium, quibus temporibus Confessarius ordinarius a suo munere omnino abstineat.

381. Praeter confessarium ordinarium et extraordinarium, iuxta tenorem Decreti *Quemadmodum*, S. C. Episcoporum et Regularium, diei 17 Decembris, 1890, Ordinarii in locis propriae dioeceseos in quibus mulierum communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent ad quos pro sacramento poenitentiae recurrere facile queant Sorores, quoties subditae, ut propriae conscientiae consulant, a suis superioribus extraordinarium aut specialem petant confessarium.[2]

382. Si exemptae sint moniales, deputatio Confessarii pertinet ad Superiorem regularem, cum approbatione tamen Episcopi loci, qui ex rationabili causa potest illum amovere quoties Superior regularis id facere detrectet aut negligat.

383. In omnibus monasteriis erigantur confessionalia, cratibus instructa.[3]

[1] Vid. infra, pp. 132, 133, nn. 442-447. [2] Vid. Append. pp. 265-274.
[3] Vid. Append. pag. 108.

384. De iis quae ad Confessionem pertinent non agatur cum quolibet ex Confessariis nisi in tribunali Poenitentiae.

385. Moneat Episcopus omnes monialium Superiores de officio omni modo cavendi, iuxta tenorem Decreti supradicti, *Quemadmodum*[1] ne aliquam conscientiae manifestationem, materiam Confessionis respicientem, a novitiis aut monialibus exigant.

386. Caveatur ne Superiores libertatem Confessionis ullomodo imminuant. Immo in omnibus adamussim servetur Decretum.

387. Quando moniales ab aliquo monasterio proficiscuntur ad aliud fundandum, duae Superiores, Superior scilicet monasterii unde exitur, et Superior quae praeficitur religiosis profecturis, scripto ab Episcopo adprobato conveniant de conditionibus utrimque servandis.

388. Item quando transfertur monialis ab aliquo monasterio ad aliud ut in eo permaneat, duae Superiores similiter scripto de conditionibus servandis conveniant.

389. In utroque hoc casu utraque Superior exemplar scripti quo mutua conventio contineatur, apud se servet.

XXVIII.

DE DISSENSIONIBUS INTER VIROS ECCLESIASTICOS EVITANDIS.

390. Ne dissensiones inter Episcopos aut alios ecclesiasticos viros in Hibernia oriantur, statuimus ut si qua lex in posterum lata aut proposita a Gubernio pro toto regno fuerit, quae ad Catholicorum educationem, bona ecclesiastica, et iura Ecclesiae pertineat, aut quacumque ratione Ecclesiam in omnibus et singulis dioecesibus respiciat, nulli Episcopo liceat huiusmodi legem acceptare, aut ad exsecutionem deducere, nisi antea ceteri Episcopi legem ad examen vocaverint, et acceptandam esse declaraverint.

391. Quod si sententiarum diversitas sit hac in re inter Episcopos, aut si agatur de causis maioribus, quae ab Episcopis dirimi non possunt, tota controversia ad Sedem

[1] Vid. supra, pag. 118, n. 381; et Append. pp. 265-274.

Apostolicam deferatur, iuxta veterem Canonem Ecclesiae Hiberniae a S. Patritio latum, "Si quae quaestiones in hac Insula oriantur, ad Sedem Apostolicam referantur,"[1] et iuxta consuetudinem Ecclesiae Universalis.

392. Praeterea omnibus huius regionis sacerdotibus in memoriam revocamus obligationem qua mysteria Fidei, Sacramenta, Dei praecepta, et alia ad religionem spectantia fideli populo diebus festivis exponere tenentur. Cum vero periculum sit ne haec negligantur si de alienis et profanis negotiis in ecclesia agatur, districte prohibemus ne inter Missarum Solemnia, quod plane indecens esset, aut omnino in ecclesia, de rebus mere saecularibus, ut de politicis electionibus aut aliis eiusmodi rebus, agatur, quae facile dissidia inter Pastorem et populum promovere valeant, et magnam animorum commotionem excitare.

393. Itaque si qui sacerdos de politicis rebus agat, aut, spreto Synodi Thurlesiensis praecepto, nominatim in aliquem in ecclesiis invehatur, is poena suspensionis, aut alia pro arbitrio Ordinarii, plectatur.[2]

394. Haec tamen ita interpretanda non sunt, quasi de largitionibus non recipiendis, de periurio evitando, de iuribus Ecclesiae, et de caritate et cura erga pauperes, sacerdotibus non esset in ecclesiis agendum.

395. Religionis bonum et Ecclesiae libertatem exigere putamus, ut quotiescumque agatur de Curatoribus pauperum et Parliamenti Membris eligendis, a quorum agendi ratione pauperum Catholicorum fides et incolumitas, et Ecclesiae iura et libertas detrimenta pati possunt, solliciti esse debeant sacerdotes ut hominibus probis et religionis Catholicae minime hostibus munera haec conferantur. Attamen extra ecclesias, sine tumultu, absque caritatis violatione, et cum debita subiectione proprio Episcopo ne dissensiones in clero oriantur, et cum ea

[1] Can. S. Patr. apud Wilkins, Conc. M. Brit. Tom. 1, pag. 6.
[2] Vid. supra, pag. 106, n. 301.

moderatione quae statui clericali omnino convenit, relicta unicuique in dubiis libere pro se sentiendi facultate, de omnibus huiusmodi rebus agendum esse arbitramur.

396. Sacerdotes nullum munus publicum et civile sine scripta Episcopi licentia sibi assumant.

397. Statuta anno 1882 a coetu Archiepiscoporum et Episcoporum Hiberniae edita, in hac Synodo Plenaria confirmamus:—

(1°.) Omnibus sacerdotibus interdictum est quominus conventibus publicis intersint sine expresso Parochi consensu, in cuius paroecia conventus habetur.

(2°.) Vicariis interdictum est etiam in propriis paroeciis huiusmodi conventibus adesse sine Parochi consensu.

(3°.) Si quae controversia de huiusmodi conventibus publicis inter sacerdotes oriatur, res Episcopi iudicio est remittenda, et interea controversia quiescat.

(4°.) Si quaestio sit de conventibus Dublini habendis, licentia Episcopi loci ex quo venit sacerdos obtineatur, quae licentia sufficiens censebitur donec aliter statuerit Archiepiscopus Dublinensis.

XXIX.

DE LITIBUS EVITANDIS.

398. S. Paulus in Ep. 1ª ad Corinthios strenue fideles hortatur ut iudicia publica evitent, et lites et disputationes inter se sine iudicum auxilio componant:—"Saecularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit . . . . . . Iam quidem omnino delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?"—1 Cor. vi. 4, sqq.

399. Haec S. Pauli doctrina saepe a sacerdotibus pro-

ponenda est fidelibus, ut discant quantopere lites sint evitandae, et quantum ab Evangelio aliena sit eorum agendi ratio qui saepius alios vocant ad tribunalia, quique voluptatem quamdam ex legalibus disceptationibus capere videntur.

400. Si inter sacerdotes de rebus mere temporalibus oriatur quaestio quae privatim componi possit, unus alterum apud tribunalia laica non citet, sed res deferatur ad Ordinarium dioeceseos, et ab eo, vel ab arbitris cum eius consensu selectis, dirimatur.

401. Si vero de contractibus, debitis, hereditatibus, testamentis, publicis instrumentis, et aliis huiusmodi inter sacerdotes agatur, etiamsi opus sit sententia iudicis saecularis ad efficacem causae determinationem, pro viribus enitendum est ut res amice componatur, et nullo in casu quaestio ad tribunal civile deferatur nisi prius petita ab Ordinario licentia.

402. Inter sacerdotem vero et laicum si oriatur causa disceptandi de re mere temporali, sacerdos, qui virtutum evangelicarum exemplar esse debet, proponat ut res arbitrio prudentium virorum relinquatur dirimenda.

403. Quod si inter sacerdotem et laicum agatur de contractibus, debitis, hereditatibus, testamentis, publicis instrumentis aut aliis huiusmodi in quibus sententia iudicis saecularis est necessaria, si quae ratio inveniri potest quaestionem amice componendi, illa adhibeatur priusquam ad tribunal civile recurratur.

404. Ceterum ut mala quae ex hisce litibus inter sacerdotes et laicos oriuntur, quoad fieri potest, impediantur, sacerdos rem integram Ordinario deferat, et iuxta eius consilium agat.[1]

XXX.

DE FORO ECCLESIASTICO.

405. Cum ex divina sua institutione Ecclesia perfecta sit societas sub regimine Summi Pontificis, Christi Vicarii,

[1] Vid. Append. pp. 315, 316.

et Episcoporum, quibus competit potestas leges ferendi, causas audiendi et dirimendi, ac legum observantiam vi coactiva et poenis exigendi, existere debet forum iudiciale ecclesiasticum. Quod quidem forum agnoscendum esse verba Christi demonstrant:—"Si peccaverit in te frater tuus . . . dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus" (Matt. xviii. 15, 17), et illa S. Pauli ad Timotheum, "adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus" (1 Tim. v. 19).

406. Hinc Pius VI. in Const. *Auctorem Fidei* eos damnat qui dicunt Ecclesiae non fuisse a Deo collatam potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori iudicio ac salutaribus poenis coercendi atque cogendi.

407. Cum divino Primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praesit, Concilium Vaticanum eum esse declaravit iudicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri. Itaque per universum orbem causas eiusmodi dirimere, vel etiam ad se vocare, potest. Hinc quoque, ut patet, ad ipsum spectat formulas observandas in iudiciis ecclesiasticis exercendis praescribere, omnesque fideles tam eius iudiciis quam eiusmodi regulis se submittere tenentur.

408. Praeterea, iure divino et vi institutionis Christi, Episcopi potestatem iudiciariam habent sibi propriam, qua spoliari quamque abdicare nequeunt, quam etiam vel per se, vel per vicarium aut alium quemcunque ad nutum revocabilem, exercere possunt, nisi lex aliqua canonica obstet. Cum vero in hac regione omnes formae in Iure Canonico praescriptae pro iudiciis ecclesiasticis nequeant observari, habita legis civilis ratione, curandum est ut saltem ea omnia fiant quae ad veritatem inveniendam et ad iustam rei defensionem

necessaria sunt.[1] Qua de re in Synodis Provincialibus sedulo agendum erit.

409. Porro cum ad Canonum normam et iuxta Tridentina Decreta, in causis ecclesiasticis, quae nempe fidem, Sacramenta, sacras functiones, necnon officia et iura sacro ministerio adnexa respiciunt, Episcopi tribunalis sit sententiam dicere, eiusmodi causas ad tribunal laicale deferre non licet.

410. Hinc appellatio quaelibet ad tribunal laicale a sententia in his causis ab Episcopo lata, necnon appellatio quae dicitur ab abusu, scilicet cum quis, sub eo praetextu quod Episcopi iudicandi potestate abusi sint, ad iudices saeculares confugiat, est omnino reprobanda.

411. Si quis vero clericus in huiusmodi causis ecclesiasticis litem in tribunalibus laicalibus instituat, aut ad eadem recurrat, aut appellet contra iudicia proprii Ordinarii quibus suspensio aut aliae censurae vel poenae infliguntur, incidit ipso facto in excommunicationem maiorem speciali modo Romano Pontifici reservatam, et fit obnoxius poenis per sacros Canones statutis. Quam excommunicationem incurrunt etiam laici huiusmodi causas quomodolibet ad tribunal saeculare afferentes.

412. Quod si quis gravamen aut iniuriam ab ecclesiasticis iudicibus passum se esse autumet, ea remedia adhibeat quae suppeditat Ecclesia; scilicet appellet ad Archiepiscopum, vel ad Summum Pontificem.

XXXI.

DE ARCHIVIS CONSTITUENDIS.

413. Cum ad Ecclesiarum utilitatem maxime conferat veterum instrumentorum custodia, quorum in hoc regno plurima dolere debeamus malo quidem fato deperdita esse, decerni-

[1] Vid. supra, pag. 75, n. 141.

mus ut in posterum media adhibeantur quibus tanto malo obvietur.

414. Itaque Episcopale Archivum, in loco quantum possit tutiori simul et commodiori, Episcopi stabiliter in singulis suis dioecesibus erigant et constituant. In illo omnia reponantur documenta quae ad dioeceseos originem et historiam spectent; ea quoque quae ad dispensationes matrimoniales, et presbyterorum Ordinationes pertineant; quae ad controversias et iudicia referantur; quae ad beneficiorum provisiones, paroeciarum uniones et divisiones, privilegia et indulgentias quae dioecesi ipsi, ecclesiae cathedrali, vel parochiali, concessae fuerint; quaeque quocumque modo ad rectam dioeceseos administrationem pertineant.

415. Cum Episcopus ex hac vita se migraturum perspexerit, ne Archiva Episcopalia dispergantur, ea in curam duorum sacerdotum committantur, qui in testamento Episcopi sunt nominandi,[1] quique ea eius successori fideliter reddent.

416. Quod si quis documenta quae in Archivo conservantur violaverit, subtraxerit, aut suppresserit, omni sit dignitate, officio, et beneficio privatus, et ad futura obtinenda eo ipso inhabilis, sicut statutum legitur in Actis Conc. Rom. an. 1725, sub Benedicto XIII.; si vero laicus fuerit, excommunicationem ipso facto incurrat.

XXXII.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

417. Cum res Ecclesiae, seu bona ecclesiastica, nihil aliud sint nisi vota fidelium, et patrimonia pauperum; cumque praeterea ad cultum divinum exercendum, et ad sacrorum

[1] Vid. infra, pag. 127, n. 424.

ministrorum sustentationem necessaria sint, facile quilibet intelliget quanta fide et diligentia sint iis custodienda quibus eorum ministratio et fruitio est commissa. Itaque de iis sequentia statuenda esse existimamus, praeter alia quae a Iure Canonico statuta sunt.[1]

418. Praecipimus omnibus Parochis atque Administratoribus paroeciarum, necnon locorum piorum, quae ab Episcopis pendent, Curatoribus, ut statim post publicationem huius Synodi Constitutionum, bonorum tam mobilium quam immobilium quae ad ecclesias suas vel paroecias vel ad loca pia praedicta spectent, inventarium conficiant. In hoc inventario vasa sacra sacramque omnem supellectilem quae in suis ecclesiis existant diligenter describant: si quae sint praedia ecclesiae, si domus aut scholae parochiales, si reditus denique permanentes, ea omnia recenseant: neque onera omittant quibus ecclesia vel loca pia subiiciuntur.

419. Unum exemplar inventarii singularum ecclesiarum et locorum piorum, a Parocho vel ab alio ad quem spectat subscriptum, ad Episcopum dioeceseos mittetur, ei in Archivis Episcopalibus custodiendum; alterum in ipsa ecclesia de qua agitur loco tuto asservabitur.

420. Si post confectum inventarium, aliqua bona in operibus piis et ecclesiasticis insumenda Parocho cuivis, vel alii cuicumque Catholico, donata vel legata fuerint, statim Parochus vel alius sacerdos Episcopum moneat, qui curabit ut piae donationes et legata pia effectum sortiantur.

421. Vasa sacra aurea vel argentea nomine ecclesiae ad quam pertinent inscribantur: si sint nova, id fiat antequam ab Episcopo consecrentur.

422. Ne ob legis defectum bona ecclesiastica in alienas manus transeant, curae erit Episcopo ut eorum tituli aut instrumenta accurate iuxta legem civilem et in nomine trium

[1] Vid. Append. pp. 316, 317.

aut quatuor Curatorum conficiantur. Hi vero Curatores sint Episcopus dioeceseos, Parochus aut alius sacerdos cui bona commissa fuerint, Vicarius Generalis aut alius vir prudens et vitae integritate conspicuus et in huiusmodi rebus versatus. Hi Curatores semel in anno convenire debent ut securitati bonorum praedictorum providere possint. Et si quis ex eorum numero e vivis discesserit, alium in eius locum superstites subrogare teneantur.

423. Adamussim servent sacerdotes, praesertim ii qui bonorum ecclesiasticorum possessionem aut administrationem habeant, ea omnia quae de sacerdotum testamentis conficiendis, atque in loco tuto reponendis, in hac Synodo statuta sunt.[1]

424. Episcopi testamentum[2] validum in tribus exemplaribus conficere teneantur, quorum unum in curia Archiepiscopali, alterum in curia senioris Suffraganei vel in alia ab Episcopo ipso designanda, tertium in Archivis dioecesanis custodiatur. Archiepiscopus eumdem exemplarium numerum conficere teneatur; unum vero apud se in curia retineat, alterum in curia senioris Suffraganei, et tertium in curia alius ex suffraganeis ab ipso designandi deponat.

425. Conficiatur in unaquaque dioecesi catalogus, in quo ecclesiae, scholae, sacerdotum domus, aliaque omnia aedificia et bona parochialia vel dioecesana singula recenseantur, una cum nominibus illorum qui rei cuiusque Curatores sint. Alter quoque conficiatur catalogus ordine alphabetico nomina exhibens eorum omnium, sive ecclesiasticorum sive laicorum, qui Curatores sint alicuius boni ad ecclesiam pertinentis, ita ut, mortuo aliquo huiusmodi Curatore, facile percipere possit Episcopus an, et quatenus, opus sit ut loco defuncti Curatoris alius substituatur.

426. Ut haec omnia quae respiciunt sive Archiva, sive

[1] Vid. supra, pag. 89, nn. 212, 213. [2] Vid. Append. pag. 317.

bona ecclesiastica, serventur, in quaque dioecesi Secretarius dioecesanus ab Episcopo instituendus videtur.

427. In mentem omnium revocamus poenas quae in Concilio Tridentino, Sess. 22, c. ult., et in Constitutione Pii IX, *Apostolicae Sedis Moderationi*, in bonorum cuiuscumque ecclesiae aut pii loci occupatores latae sunt.

XXXIII.

DE CATHOLICAE IUVENTUTIS INSTITUTIONE.[1]

428. Cum Christus Dominus Pastoribus Ecclesiae suae in persona Apostolorum officium commiserit docendi universam Christianam plebem, dicens: "Euntes ergo docete omnes gentes, . . . docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis" (Matt. xxviii. 19, 20), cumque maximi sit momenti ut vel a primis annis animae fidei luce illuminentur, ne umquam obdormiant in morte, muneris nostri est imprimis enixe in Domino hortari et obsecrare parentes et alios omnes quibus iuventutis cura demandata est, ut ad Catholicam liberorum educationem operam diligentissime navent, ita ut in iis quae ad fidem et mores spectant bene instituantur, et ad vitam quae sanctissimae nostrae fidei dictaminibus sit conformis plene efformentur.

429. Quapropter a tenerrima usque aetate devotam Sanctissimorum Iesu et Mariae Nominum invocationem, necnon Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, et Symbolum Apostolorum eos edoceant; atque curent ut Doctrinam Christianam seu Catechismum a primis annis discant, et temporis decursu magis magisque in doctrina fidei erudiantur.

[1] Vid. Append. pp. 318-327.

430. Caveant ne culpa sua fides vel mores periclitentur parvulorum, pro quibus Christus mortuus est. Proinde neque ad scholas a Pastoribus Ecclesiae interdictas vel suspectas liberos suos mittant, nec ullo sub praetextu tales scholas eos frequentare sinant.

431. In memoriam revocamus omnibus fidelibus curae nostrae pastorali commissis, a nullo Catholico "posse probari eam iuventutis instituendae rationem quae sit a Catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo, vel saltem primario, spectat." (Syllab. Prop. 48, ex Epist. ad Archiep. Friburg. *Cum non sine*, 14 Julii, 1864.) [1]

XXXIV.

DE SCHOLIS NATIONALIBUS.

432. Prudentem agendi modum a S. Sede servatum de systemate Nationalis Educationis, quae abstinuit a iudicio de ea re definitive proferendo,[2] et a nobis impraesentiarum servandum esse arbitramur. Attamen nostri muneris esse ducimus iterum, cum Concilio Plenario Thurlesiensi, declarare, separatam Catholicae iuventutis educationem esse omnimodo ei anteponendam. Haec enim sola iuribus votisque populi nostri plene satisfacere potest. Quod quidem patet, tum ex iteratis declarationibus Catholicorum systema mixtum saepe saepius reprobantium, et educationem religiosam pro liberis efflagitantium; tum etiam ex agendi ratione eorum qui, quamvis summis laudibus systema mere saeculare extollant, tamen in seligendis scholis ad quas liberos suos mittant, fere semper et ubique academias separatas, relictis mixtis, eligunt.

433. Quoniam autem systema educationis, uti vocatur

[1] Vid. Append. pag. 318.
[2] Vid. Append. pp. 327-331.

denominationalis, adhuc nobis denegatur, et nonnisi mediante systemate Nationalis Educationis participes esse possumus redituum publicorum ad iuventutis institutionem assignatorum, omni cura cavendum est ne, sive mutata ratione magistros remunerandi sive alio quocumque modo, iura quibus hactenus gaudent Catholici scholarum moderatores (*School Managers*) impetantur: ita enim facile fieret, ut iniuria facta sacrosanctae religionis nostrae principiis, Systema ipsum adeo periculosum evaderet, ut non amplius ab Ecclesiae Pastoribus tolerari posset.

434. Huc spectant quae scripsit fel. rec. Pontifex Pius IX. ad Archiepiscopum Friburgensem, anno 1864, scil. "Consilia conatusque arcendi a popularibus scholis Ecclesiae potestatem proficiscuntur ex animo eidem Ecclesiae summopere adverso, atque ex studio exstinguendi in populis divinum sanctissimae fidei nostrae lumen. Quocirca Ecclesia, quae easdem fundavit scholas, summa cura studioque eas semper est prosecuta, illasque veluti potiorem ecclesiasticae suae auctoritatis ac regiminis partem consideravit; et quaecumque earum ab Ecclesia seiunctio maximum eidem Ecclesiae ipsisque scholis affert detrimentum. Ii autem omnes qui perperam contendunt Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas deponere aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent quam ut Ecclesia contra divini sui auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem sibi divinitus commisso deesset." [1]

435. Ut quam minime periculosum Systema Educationis Nationalis reddatur, haec statuenda ducimus:—

(1°). Libri qui noxium aliquid, sive adversus Sacrorum Bibliorum Canonem, inspirationem, integritatem, aut veritatem, sive alio quocumque modo contra fidem vel mores, continent, in scholis nullomodo tolerentur.

[1] Vid. Append. pag. 321.

(2°). Nullus admittatur liber, in quo de religione vel de moribus agitur, nisi ab Ordinario saltem toleretur, ad quem de rebus fidei et morum pertinet iudicare.

(3°). Episcopi et Parochi curent ut in unaquaque paroecia sufficiens sit scholarum numerus ad Catholicae iuventutis institutionem.

(4°). Eorumdem etiam sit, cooperante populo, omnibus viribus niti ut a Gubernio meliorem in dies rerum ordinem et conditiones aequiores quoad scholas obtineant.

(5°). Loca ipsa scholarum, in quantum fieri potest, fidei plurium, saltem trium, Curatorum committantur, si nondum commissa sint, Episcopi scilicet vel Parochi, et aliorum ab Episcopo adprobandorum, in quorum nominibus tituli aut instrumenta accurate iuxta legem civilem conficiantur.

(6°). Diligenter servet Parochus regulas iam statutas de scholis in sua paroecia visitandis.[1]

(7°). Ne ludimagistrum nec ludimagistram, neque utriusvis adiutorem aut adiutricem (*Principal or Assistant Teacher*), constituat moderator clericalis (*Clerical Manager*) nisi prius Episcopum consuluerit, adprobationemque eiusdem obtinuerit.[2]

436. Praxim enixe commendamus semihoram illam quae recreationem meridianam immediate antecedit aut sequitur seponendi ad Doctrinam Christianam docendam.

437. Magnopere expetendum est ut in omnibus dioecesibus unus aut plures sacerdotes, ob singularem idoneitatem eligendi, ab Episcopo constituantur Praefecti Dioecesani Religiosae Institutionis (*Diocesan Inspectors of Religious Instruction*), quibus sola cura sit omnes scholas publicas saltem semel in anno visitare et examinare, necnon annuam in scriptis relationem ad Episcopum mittere de statu institutionis religiosae in unaquaque schola.

[1] Vid. supra, pp. 106, 107, nn. 305 et seq. [2] Vid. Append. pag. 408.

438. Quoniam maximi momenti est ut adsint, quoad fieri potest, sacerdotes paroeciae adscripti dum Praefectus Institutionis Religiosae alumnos examinat, curabit Parochus, si ipse commode adesse nequeat, ut adsit unus alterve Coadiutor.

439. Syllabus exhibens capita institutionis religiosae in scholis tradendae (*Programme of Religious Instruction*) diligenter et accurate conscribatur, et cum approbatione Ordinarii typis mandetur. Tota dioeceseos religiosa institutio iuxta Syllabum ita ordinatum et variis alumnorum classibus accommodatum, adamussim dirigatur.

440. Illud quoque perutile fore censemus, et menti Sacrae Congregationis conforme, ut loca ipsa scholarum in Episcoporum vel Parochorum potestate ac proprio iure, mediantibus Curatoribus, maneant. Vetamus igitur ne quis sacerdos auxilium ad scholas erigendas accipiat sub quocumque instrumento a coetu Episcoporum non adprobato: immo sacerdotes omnes hortamur ut, quoties id fieri potest, sumptus scholarum erigendarum non ex aerario publico sed ab ipsorum gregibus impetrent.

441. Prohibemus ne Catholici, penes quos sunt scholarum loca, ea ad Commissarios scholis dirigendis publica auctoritate praepositos (*Commissioners of National Education*) transferant.

442. Statutis ab Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae anno 1862 latis insistentes, sacerdotes omnes sub poena suspensionis prohibemus, ne quempiam, sive virum sive feminam, mittant ad artem paedagogicam addiscendam in iis scholis (*Central Male and Female Training Establishments*) quae, sub regimine immediato Concilii Supremi Educationis Nationalis (*National Education Board*) positae, ad magistros formandos institutae sunt.

443. Cum autem in praedictis scholis magistri et

disciputi variarum religionum immixti inveniantur, neque ullum locum habeat Ecclesiae salutaris vis moderatrix, unde grave intrinsecumque fidei oriatur periculum, inhaerentes Decretis Synodi Plenariae Episcoporum Hiberniae, anno 1875 Maynutiae habitae, districte prohibemus ne in posterum ullus Catholicus ad artem paedagogicam addiscendam eas adeat, vel aliquod in iis officium docendi exercendum suscipiat. Invigilent Episcopi ut hoc Decretum ab omnibus servetur, et ut omnes Confessarii, sive regulares sive saeculares, ratione habita huius Decreti, poenitentes suos ab illis frequentandis deterreant.

444. Prohibetur ne ullus moderator clericalis pro munere ludimagistri, aut ludimagistri adiutoris, sive virum, sive feminam, seligat qui ad artem paedagogicam in memoratis scholis institutus sit.

445. Cum pericula haud minora minitentur Normalium Scholarum (*Model Schools*) alumnis, parentes, et alios quibus parvulorum cura commissa est, monemus et hortamur ne ad huiusmodi scholas eos mittant. Quod si fecerint, sciant se strictissime rationem esse reddituros periculi cui animas sanguine Christi redemptas exponere non dubitant.

446. Prohibemus ne quis sacerdos, sive ipse solus, sive cum laico moderatore cooperans, quempiam, sive puerum sive puellam, mittat ad artem paedagogicam addiscendam in Schola aliqua Normali, aut ad quodlibet docendi munus vocet quempiam qui in huiusmodi schola artem paedagogicam addidicerit.

447. Prohibemus insuper ne quis sacerdos Scholam aliquam Normalem visitet ad alumnos, vel in re religiosa, instituendos aut examinandos.

448. Valde periculosum esse censemus pueris puellisve Catholicis scholas adire, quibus soli acatholici praesunt; ab his igitur scholis Pastores iuvenes sui gregis avertant.

449. Episcopi, in conventu suo annuo, Deputationem (*Standing Committee*) constituant ad iuventutis institutionem tuendam, necnon ad iura Catholicorum in hac re vindicanda.

450. In singulis dioecesibus moderatores quidam Scholarum Nationalium (*Committee of School Managers*) seligantur quibus curae erit omnibus constanter invigilare quae ad scholas primarias pertinent.

451. Syllabus Institutionis Religiosae, in collegiis ad formandos magistros Catholicos constitutis adhibendus, conscribatur, atque approbatione Ordinarii firmatus typis mandetur. Diploma iis detur alumnis quos, examine facto, collegii Superiores iudicant esse idoneos ad doctrinam Christianam apprime docendam.

XXXV.

DE SCHOLIS QUAE A MONIALIBUS DIRIGUNTUR.

De Scholis quae sub cura Monialium sunt, haec statuimus :—

452. Nulla ex istiusmodi scholis, Concilio Supremo Educationis Nationalis in posterum subiiciatur, nisi cum expressa Ordinarii licentia.

453. Nemo, sive ex monialibus sive ex novitiis, Examini coram officialibus Commissariorum se sistat, neque accipiat monialis stipendium magistrae gradu determinatum (*Class Salary*) nisi in circumstantiis specialibus, de quibus Episcopi erit iudicare.

454. Ne accipiant moniales subsidia a Commissariis ad aedificia erigenda sub quocunque instrumento a coetu Episcoporum non adprobato: in quantum fieri potest,

optandum est ut scholae monialium moderatorem habeant Parochum vel ipsum Episcopum.

455. Ad rite docendum instituantur moniales quae scholas dirigunt, ad quem finem consequendum erigantur a singulis communitatibus instituta ad suas subditas formandas; quod fieri potest sive per totam Hiberniam, sive per provincias, sive per dioeceses, prout rerum adiuncta, Episcopo iudice, postulare videntur.

456. Prima ipsis monialibus sit cura, ut in religione et in scientiis ad religionem pertinentibus puellae earum curae commissae magis magisque proficiant.

457. Sodalitates religiosae, ab Ordinario adprobatae, pro puellis quae scholas frequentant, in unoquoque Conventu instituantur.

458. Videant moniales ut institutionis ratio, in quantum fieri potest, vitae domesticae apta sit, et ad conditionem educandarum accommodata.

459. Caveant Superiorissae ne quocumque sub praetextu choreas illas vel cantus a bonis moribus alienos, vel aliquid aliud huiusmodi modestiae Christianae contrarium, in earum scholas introduci sinant.

460. Libri in usum educandarum sunt caute seligendi, atque in iisdem versandis maximopere interest puellas ita dirigere ut in studiis utilioribus proficiant.

XXXVI.

DE SCHOLIS QUIBUS FRATRES PRAESUNT.

461. Inter praecipuas Ecclesiae Catholicae glorias recensendi merito sunt Ordines illi virorum religiosorum, qui ad

erudiendam spiritu intelligentiae ac pietatis iuventutem se devovent. Ut autem magis magisque augeantur bona quae, Deo opitulante, ex eorum opera dimanant, firmis praescriptionibus iuris communis, praesertim per Constitutionem *Conditae a Christo* [1] fel. reg. Leonis XIII sancitis, et salvis cuiusque Fratrum Congregationis iuribus a Sancta Sede recognitis, haec statuenda decernimus :

462. Episcopi, quoad vigilantiam super Regularum et Constitutionum observantia, se gerant ad normam iuris communis, praesertim citatae Constitutionis *Conditae a Christo.*

463. Videant Fratrum Superiores, ut Fratres artem docendi bene addiscant, et ut quam optime erudiantur pueri eorum curae commissi, tum in iis quae ad religionem, tum in iis quae ad scientias saeculares attinent.

464. Pactum inter Parochum et Fratres circa victum ipsis suppeditandum, et alia omnia quae ad administrationem scholae temporalem pertinent, caute scriptis mandetur, et accurate tum a Parocho tum a Fratribus servetur.

465. In diebus Dominicis Fratres parati esse debent ad opem ferendam in Catechismo docendo sub directione Parochi.

466. Parochus vel per se vel per Vicarium, necnon sacerdotes omnes ab Episcopo ad hoc delegati, ius habeant quascumque Fratrum scholas stricte parochiales visitandi, discipulosque, tempore opportuno, in doctrina Christiana instruendi, et, nisi in aliquo particulari casu obstet legitima consuetudo, examinandi, iuxta modum et tempus ab Episcopo praescriptum, in scientiis tum religiosis tum saecularibus. Quoad alias vero scholas servetur ius commune et Constitutio *Conditae a Christo*, n. 10.

[1] Vid. Append. pag. 284.

467. Loca et aedificia scholarum parochialium, quarum mera cura est Fratribus demandata, necnon piae donationes, et legata pia pro huiusmodi scholis, et bona quae inde comparantur, fidei plurium Curatorum committantur, quorum unus sit Episcopus, aliique sint ab ipso approbati.

468. Si quae vero sint loca vel aedificia vel bona parochialia ad scholas pertinentia, quae nunc a Fratribus nomine tenus possidentur, nobis congruum videtur, ut, quam primum commode fieri potest, novi tituli aut instrumenta accurate iuxta legem civilem, et nomine trium vel plurium Curatorum conficiantur, quorum unus sit Episcopus, aliique sint ab ipso approbati.

469. Ad Episcopum pertinet, vel per se, vel per sacerdotem ab eo delegatum, invigilare reditibus et expensis scholarum quae non pertineant uti propriae ad Fratrum Institutum, sed ipsorum curae tantum sint demandatae.

470. Fratres eleemosynas ostiatim non colligant, nisi ex licentia tum proprii Episcopi, tum Episcopi loci in quo collectae fiant: quam licentiam nonnisi in scriptis, et ad breve tempus, dandam esse censemus. Fratres non soli sed cum socio collectas faciant.

XXXVII.

DE SCHOLIS ARTIUM TECHNICARUM ET AGRICULTURAE.

471. Cum nobis videatur scientiam artium technicarum et agriculturae pro populo nostro perutilem et necessariam esse, permitti posse iudicamus ut iuvenes Catholici una cum aliis diversae religionis scholas adeant ubi haec scientia, non tamen institutio seu educatio generalis, traditur.

472. Districte tamen prohibemus ne in huiusmodi scholis convivant Catholici una cum aliis diversae religionis,

nisi Episcopus loci in casibus particularibus ob rationes speciales aliter iudicaverit.[1]

XXXVIII.

DE COLLEGIIS ET SCHOLIS LITTERARUM HUMANIORUM.

473. Licet plurima per Hiberniam existant bonae notae collegia et scholae, in quibus iuventus Catholica in litteris humanioribus et in scientiarum principiis eruditur, expedit tamen ut eorum numerus augeatur. Hortamur igitur Episcopos ut in oppidis maioribus, aut in aliis locis opportunis, huiusmodi scholas instituere conentur.

474. Quando istiusmodi scholae non diriguntur a sacerdotibus, vel a Fratribus Religiosis, expedit ut sacerdos ab Episcopo deputetur, qui munus docendi in illis exerceat, et pueros in doctrina fidei specialiter erudiat.

475. Syllabus Institutionis Religiosae in collegiis et scholis Litterarum Humaniorum tradendae typis mandetur, et in omnibus dictis collegiis et scholis accurate servetur. Habeatur insuper quotannis Examen institutionis religiosae in his scholis traditae. Munus vero adhibendi media maxime idonea ad hoc Decretum efficax reddendum speciali Episcoporum Deputationi committatur.

XXXIX.

DE SEMINARIIS ECCLESIASTICIS.[2]

476. Quoniam "bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua" (Lament. iii. 27), et, sicut testatur Apostolus, "omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii sed moeroris postea, autem fructum pacatissi-

[1] Vid. Append. pp. 405, 406.

[2] Vid. Append. pp. 331-337.

mum exercitatis per eam reddet iustitiae" (Heb. xii. 11); idcirco maximopere curare debent Episcopi ut in seminariis et collegiis in quibus instituuntur pueri et adolescentes ad Sacrum Ministerium destinati, bona semper disciplina existat, et pietatis spiritus ac studii amor iugiter vigeant. Sic enim fieri potest ut a teneris annis ad pietatem et religionem clerici informentur; nam, teste Tridentino (sess. xxiii. de Reform. cap. 18), "adolescentium aetas nisi recte instituatur . . . numquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio, in disciplina ecclesiastica" perseverat.

477. Ut igitur magis magisque in spiritu intelligentiae ac pietatis in dies proficiant seminariorum alumni, omnes Catechismum sedulo addiscant, et singulis Dominicis et festis de praecepto diebus, opportune in rebus ad fidem vel mores pertinentibus instruantur. Praesertim vero ad SS. Cordis Iesu cultum, et ad tenerrimam erga Immaculatam Dei Matrem, ad S. Patritium Hiberniae Patronum, et ad Sanctos omnes devotionem, iugiter efformentur, necnon ad amorem Ecclesiae et Supremi ipsius Capitis, Christi in terris Vicarii et S. Petri Successoris, Romani Pontificis. Praxim orationis mentalis, seu meditationis, sedulo edoceantur, ut a primis annis spiritu orationis impleantur. Saepissime etiam cohortandi sunt, praesertim autem hisce temporibus, cum intemperantiae vitium adeo grassatur, ut mortificationem Iesu semper in corporibus suis circumferentes, et temperantiae et modestiae studentes, in omnibus Christi bonus odor fiant. Itaque instituatur et foveatur inter alumnos in omnibus seminariis Societas abstinentiae totalis a potu inebrianti. Unde ex tota institutionis ratione sperare licebit fore "ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat, quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior quam antea

Corporis Christi Communio maxime comprobabunt" (Conc. Trid., sess. xxiii. de Reform., cap. 2.).

478. In seminariis in quibus iuniores clerici una cum laicis educantur, Episcopus invigilare debet, ut qui ad Sacrum Ministerium sunt destinati instructionibus et exercitiis pietatis speciali quadam ratione ad disciplinam ecclesiasticam efformentur.

479. Quod ad studia autem attinet, expedit ut in omnibus collegiis et seminariis cursus saltem ad Rhetorices classem inclusive, in quantum fieri potest, extendatur, et magnopere curandum est ut ita apprime discant alumni linguam Anglicam, ut clara et modulata voce legere, ac pure et eleganter, quidquid de quacumque re sentiant, conscribere valeant; et quidem generatim summa ope expetendum est, ut optime erudiantur, non solum in litteris, verum etiam in iis quae ad humanitatem et cultum spectent.

480. In iis autem dioecesibus in quibus magna pars populi lingua utitur Hibernica, eamdem linguam discant oportet seminariorum alumni ecclesiastici.

481. Curent autem Episcopi ut in disciplinis tradendis quam optima servetur methodus, et ut aemulationis et studii spiritus inter magistros et alumnos iugiter foveatur, ita ut singuli quod Apostolus ad discipulum Timotheum scripsit quasi sibi dictum existiment: "Attende tibi et doctrinae, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt" (1 Tim. iv. 16).

482. Rectores seminariorum curent, propositis etiam praemiis, ut alumni ad Sacrum Ministerium destinati in cantu gravi et ecclesiastico, sicut supra statuimus, bene instituantur, atque sacras caeremonias probe ediscant.

483. Maximopere curare debent Episcopi, ut optimos quosque e clero in seminariorum Superiores et Professores seligant, qui prudentia, pietate, doctrina, et ceteris omni-

bus viro ecclesiastico dignis dotibus studiosae iuventuti praeluceant. Professores etiam seligantur, in quantum fieri potest, ob praeclara in studiis merita. Ad Episcopos solos pertinet deputatio Superiorum et Professorum.

484. Archiepiscopi et Episcopi in hac Synodo congregati enixe optant ut, ex ardenti Summi Pontificis desiderio saepius expresso, ad Collegium Hibernorum de Urbe unus saltem alumnus ex singulis dioecesibus Hiberniae mittatur. Illae dioeceses quae impensis sustentationi necessariis aliter occurrere nondum valent, media ad hunc finem per modicas presbyterorum collectas, ut censemus, comparare possunt.

XL.

DE COLLEGIIS REGINAE ET DE UNIVERSITATE ACATHOLICA DUBLINENSI.

485. Cum in Romano Pontifice Christi in terris Vicarium et Sancti Petri Successorem agnoscamus et veneremur, cui divinitus munus optimis doctrinis fideles instituendi, et a pestiferis et veneno infectis pascuis arcendi, commissum est, libenti animo, et eo quo par est obsequio, monitis et Rescriptis assentimur quae respiciunt Collegia Reginae, quaeque, adnuente Pontifice, a S. Cong. de Prop. Fide Episcopis Hiberniae sunt communicata.[1]

486. Non solum litterae sed spiritui horum Rescriptorum inhaerentes, collegia ista reprobamus, et fideles curae nostrae pastorali commissos, in quantum possumus, ab eis avertemus.

487. Sacerdotes omnes aliosque clericos prohibemus ne munus aliquod, quod vel administrationem horum collegi-

[1] Vid. Append. pp. 337-342.

orum spectet, assumant; neve Professores seu Decani residentiae in iis fiant.

488. Quod si quis sacerdos aut clericus ad id temeritatis venerit ut, spreta Sedis Apostolicae auctoritate, aut huius Concilii Plenarii Statutis, aliter agere ausus fuerit, suspensionem ipso facto incurrat.

489. Ne vero fideles populi nostrae curae commissi, de quorum fide et aeterna salute ratio districta nobis Deo est reddenda, detrimentum aliquod ex nostro silentio patiantur, in Epistolis Pastoralibus gravia et intrinseca pericula a S. Sede memorata, quibus iuvenes Catholici in hisce collegiis exponuntur, indicabimus, et frequenter omnes fideles gravissimis et caritate plenis verbis monebimus et hortabimur, ut ab his collegiis frequentandis, ne eorum fidei aliqua macula inuratur, aut pestifera aliqua doctrina inficiantur, omnino abstineant.

490. Visum autem est Nobis eadem etiam statuere de frequentatione Collegii Acatholici Dublinensis, uti vocant, SS. Trinitatis: et eo vel magis quia in Academiam illam inductum est systema educationis mere saecularis.

491. Districte ergo sacerdotes et clericos omnes, et quidem sub gravi, prohibemus ne quis eorum, consilio vel alio quovis modo, parentibus aut aliis curam iuvenum habentibus suadeat ut adolescentes eorum curae commissos ad praedictum Collegium SS. Trinitatis vel ad Collegia Reginae iam memorata mittant, vel iuvenibus ipsis ut collegia ista frequentent. Nec clerici quocumque modo collegiis istis faveant.

492. Invigilent Episcopi ut haec monita ab omnibus serventur, et ut omnes Confessarii, habita ratione periculorum quae, ut a S. Sede declaratum est, istis collegiis inhaerent, iuvenes deterreant ne illa frequentent, et eorum parentes ne ad eadem suos liberos mittant.

XLI.

DE UNIVERSITATE CATHOLICA.

493. Quod autem ad Universitatem nostram Catholicam attinet, in memoriam revocamus omnibus curae nostrae pastorali commissis, praesertim vero sacerdotibus, quantopere Sancta Sedes Apostolica opus istud iteratis vicibus nobis commendaverit.[1] Universitas ista post Synodum Nationalem Thurlesiensem feliciter incepta, iam per annos quadraginta quinque et amplius fidei vexillum palam inter maximas difficultates tulit, et bonos fructus fecit, licet non omnes qui nobis in votis erant.

494. Muneris autem nostri esse ducimus contra iniquam illam quae adhuc perdurat redituum ex aerario publico pro superiore educatione datorum distributionem reclamare, quatenus isti reditus iis tantum institutis dantur quae a S. Sede utpote graviter et intrinsece periculosa damnata sunt, et quae proinde a iuvenibus Catholicis tuto frequentari non possunt.

495. Hortamur omnes Episcopos et sacerdotes, necnon et fideles, praecipue eos quorum est aptos et idoneos ad munera publica seligere, ut pro data occasione eos anteponant qui studia feliciter in Universitate Catholica fecerint et qui a suis respective Episcopis vel Parochis commendantur. Ex qua agendi ratione sperandum est fore, ut, quasi agmine facto, procul a nostris finibus Rationalismi et Indifferentismi monstra iugiter repellamus, et avitam Hiberniae nostrae gloriam denuo vindicemus ut Insula Sanctorum et Doctorum et nominetur et sit.

[1] Vid. Append. pp. 338, 339, 340.

XLII.

DE SOCIETATIBUS PROSCRIPTIS.

496. Nemini dubium est quin maxima damna ex societatibus secretis religioni et reipublicae proveniant, unde Ecclesia Dei gravissimis poenis easdem damnat, et filios suos continue hortatur ut diligenter eas omnino devitent. Ut omittamus quae de antiquioribus huiusmodi sectis a Romanis Pontificibus sancita sunt, Clemens XII., Summus Pontifex, anno 1738, societatem quae *Massonica,* seu *Liberorum Muratorum,* dicitur, damnavit, et excommunicatione eius asseclas perstrinxit; quae sententia ab aliis Pontificibus, Benedicto XIV., Pio VII., Leone XII., Pio VIII., Pio IX., et Leone XIII., feliciter regnante, renovata et confirmata fuit.

497. Neque a gravi delicto et poenis ecclesiasticis quae latae sunt adversus Liberos Muratores excusantur ii qui in inferioribus sectae gradibus versantur et eius secretis minime initiantur. In hanc rem legenda sunt sapientissima Leonis XII. verba:—"Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse quin gravissimi flagitii reus sit; eorumque verba ab auribus repellite, qui ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant nihilum in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod religioni adversetur, immo nihil vel praedicari vel perfici quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim iusiurandum illud nefarium, quod iam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione iurari debet, satis per se est ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde, quamvis quae graviora et scelestiora sunt, iis mandari non soleant qui superiores gradus assecuti non sunt, perspicue tamen

patet perniciosissimarum harum societatum vim et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam qui inferiores illos gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes haberi debent; et in eos cadit illud Apostoli ad Romanos i. 32, 'qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.'" (Litterae Apostolicae Leonis XII., *Quo Graviora*, iii. Idibus Martiis, 1825.)

498. Praeter Massonicam societatem aliae omnes societates, quae similes illi sunt, vel iisdem principiis innituntur, eodem iudicio proscriptae censentur, de quibus omnibus societatibus Pius IX. hanc sententiam edendam curavit: "Societates occultae, de quibus in Pontificiis Constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur quae adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando." (Decret. S. Officii, 5 Augusti, 1846.) Et idem Pontifex in Allocutione die 25 Sept. 1865 habita, eam esse Ecclesiae mentem declarat, ut Massonica, "aliaeque eiusdem generis societates, quae specie tenus diversae in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur," reprobentur prorsus et condemnentur.

499. Pariter damnati fuerunt Feniani Decreto Apostolico quod S. Congregatio S. Officii Episcopis Hiberniae qui Concilio Oecumenico Vaticano aderant, mense Iunio anni 1870, tradendum curavit.

500. Quae cum ita sint, monendos fideles decernimus ut a secta Massonica et aliis damnatis societatibus, quae sive clandestine sive palam machinentur, sive iuramentum a suis asseclis exigant vel non exigant, sed ad Ecclesiae vel legitimarum potestatum detrimentum efformatae sunt, omnino

abstineant, earum coetibus et conventiculis numquam intersint, neque earum insignia deferant, neque in earum conviviis aut choreis partem aliquam habeant, nec eis favorem ullo modo ostendant aut patrocinentur, ne censuris ecclesiasticis irretiantur, et, falsa rerum specie allecti, a professione verae fidei in Indifferentismum aut Naturalismum trahantur.

XLIII.

DE LIBRIS PRAVIS VITANDIS.[1]

501. Inter innumera quae hac aetate grassantur mala vix ullum magis plorandum est, quodve maius fidei ac moribus Christi fidelium detrimentum infert, quam "teterrima illa tot undique volantium et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciae et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in Christianae plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas "ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant." (Pius IX., Encyclica *Qui Pluribus*, diei 9 Nov., 1846.)

502. Quam quidem tristissimam rerum conditionem etiam in nostra Hibernia existere, licet non tantum quantum in aliis quibusdam regionibus, minime est dissimulandum.

503. Etenim venales passim prostant, vilique pretio circumferuntur, libri, libelli, novellae, necnon et ephemerides, quorum scriptores religionem ac morum honestatem, sive aperto marte sive insidiose, impetunt et labefactare conantur. Huiusmodi porro scripta a Catholicis hominibus quandoque emuntur, in eorum domos recipiuntur, atque ab eorum liberis et domesticis sine delectu leguntur.

504. Cum nostri muneris sit greges ad salutaria pascua ducere et a venenatis avertere, vehementer in Domino

[1] Vid. Append. pp. 342-356.

omnes sacerdotes, praesertim vero animarum curam habentes, hortamur et in visceribus Domini obsecramus, ut zelo Dei excitati tam publice quam privatim fideles ab huiusmodi perversis scriptis diligenter avertant.

505. Sicuti vero maxima laude digni sunt parentes et alii auctoritate praediti, qui et filios suos et domesticos ab hoc pestifero pabulo immunes servant, ita e contra acriter corripiendi sunt, qui, neglecto hoc officio, quo et naturali et divino iure tenentur, et cuius rationem districtissimam Supremo Iudici sunt reddituri, suae domus curam non habent, immemores verborum Apostoli ad Timotheum: "Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior." (1 Tim. v. 8.)

506. Illos quoque qui praedictis libellis et ephemeridibus perversis, iis praesertim quae mentis puritatem commaculant, quae quidem ut plurimum ab exteris regionibus in hanc insulam nostram advehuntur, diffundendis operam navant, moneant pastores quantum sit ipsis flagitium fidem et bonos mores quaestui habere, et ex animarum ruina res domesticas augere, ut discant aliquando timere iudicia a Redemptore nostro Iesu Christo iis denuntiata per quos scandalum venit.

507. Magnopere exoptamus ut qui ingenio sunt praediti et in litterarum studia incumbunt, vestigiis eorum insistentes qui libellos Catholico spiritu plenos concinnando egregium sibi meritum acquisierunt, libros conscribant, et nominatim pro utilissima illa societate quae *The Catholic Truth Society of Ireland* appellatur, quibus pietas foveatur, mentesque delectentur simul et instruantur. Pastorum erit horum auctorum opera plebi commendare, eademque in bibliothecis parochialibus collocare.

508. Valde optandum est ut Deputatio specialis, cum utilissima illa iam dicta societate coniuncta, eligatur, quae

librorum catalogum prudenter conficiat atque identidem edat unde bibliopolae in oppidis ruralibus magnam variamque copiam librorum, fidei et moribus minime nocentium, emptoribus suppeditare possint. Hosce catalogos sacerdotum esset bibliopolis praebere, eosque monere ne alios venditent libros nisi quos aliunde bene cognoscant innocuos esse. Initio forsan utile esset catalogos iam a Societate Anglica cui nomen *St. Anselm's Society* typis mandatos sumere, quibus alios libros ter quaterve in anno addere liceret.

509. Prohibemus autem ne libri de Religione ex professo tractantes, et libelli quicumque, seu folia, quae precum formulas continent, sine licentia Episcopi loci prelo mandentur, aut venales a Catholicis exponantur.[1] Cavendum est etiam a libris nomine tenus Catholicis et ad delectandum conscriptis, ne aliquid contra fidem vel mores contineant.

XLIV.

DE CURA DEFUNCTORUM.

510. Ex Sacra Scriptura discimus sanctam et salubrem cogitationem esse pro defunctis orare ut a peccatis solvantur, et Concilium Tridentinum definivit animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio, iuvari. (Sess. xxv., Decr. de Purgatorio.) Hinc consuetudines pias illas quae adeo invaluerunt in Hibernia, Psalmum *De Profundis* post singulas missas recitandi, preces privatim pro mortuis fundendi, atque pro iisdem opera misericordiae peragendi et providendi ut Missae celebrentur, omni cura servandas et promovendas existimamus.

511. Missa Solemnis aut Officium pro Defunctis nonnisi in ecclesiis celebretur. Si absolutio danda sit in fine Missae, ab eo detur qui Missam celebravit. Si vero forte adsit

[1] Vid. Append. pp. 348, 349, 356-364.

Episcopus, licet non celebraverit, ipse ritum Absolutionis peragere potest.

512. Si quo in loco in Hibernia Missa Solemnis *De Requie* ob inopiam sacerdotum celebrari non possit, Summus Pontifex Pius IX. facultatem concessit, ut eius loco, praesente cadavere, Missa Privata pro defunctis legi possit. (Ex Rescripto 29 Junii 1862.)

513. Volumus ut in dies magis praevaleat consuetudo pia, Missam in ecclesia, potius quam in domo privata, praesente cadavere, offerendi, antequam corpus defuncti sepulturae deferatur.

514. Vigiliae profanae, praesente cadavere, cum lusibus, choreis, compotationibus, et cantibus, quae omnia domum luctus dedecent, omnino a Parochis prohibeantur. Strictissime prohibemus ne iuniores utriusque sexus, matrimonio non coniuncti, vigiliis intersint inter occasum et ortum solis, exceptis consanguineis et affinibus eorum quorum exsequiae aguntur. Illam vero funestam et populo Christiano exitiosam consuetudinem suppeditandi potum inebriantem in domo defuncti, vel prope locum sepulturae, omnino reprobamus; hortamur vero Episcopos ut delinquentes hac in re graviter plectant.

515. Dum cadaver exponitur, convenit ut fiant preces pro defunctis, recitetur Rosarium, aut libri pii legantur, ut ex recordatione mortis et brevitatis vitae humanae, si qui ad vigilias concurrant, aedificationem percipiant. Piae societates pro defunctis magno adiumento in his gerendis esse possunt.

